

NONNULLA DE HERMAPHRODITIS

ET

MEMORABILIS HOMINIS GYNANDRI

HISTORIA ATQUE DESCRIPTIO.

Pharmakolog. Institut Halle
Vermächtnis Geh.-Rat Harnack.

2/3 DISSERTATIO PATHOLOGICO - ANATOMICA,

QUAM

GRATIOSI ORDINIS MEDICI HALENSIS

CONSENSU ATQUE AUCTORITATE,

POSTQUAM

TENTAMINE ET EXAMINE RIGOROSO RITE SUPERATIS

PRO

SUMMIS

IN

MEDICINA CHIRURGIA ET ARTE OBSTETRICIA

HONORIBUS LEGITIME OBTINENDIS

DIE VIII SEPTEMBRIS ANNI MDCCCXXXI.

THESES

PUBLICAE DEFENDIT,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

AUCTOR

G U I L I E L M U S D E B I P P E N,
LUBECENSIS.

ACCEDUNT TABULAE LITHOGRAPHICAE III.

H A L I S

T Y P I S B A E N T S C H I A N I S.

Pharmakologische
Vermischte

Quod foecundum facit, in omnibus
idem aut consimilis naturae est.

HARVEY.

XA 2 (3)
Martin-Luther-Universität
Zweibibliothek der ULB
Klinikum Kröllwitz
Ernst-Grube-Straße 40
06098 Halle (Saale)
6V/2005/00023



V I R O
ILLUSTRISSIMO, ERUDITISSIMO, INTEGERRIMO

PETRO KRUKENBERG,

MEDICINAE ATQUE CHIRURGIAE DOCTORI,
PATHOLOGIAE ET THERAPIAE PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO,
INSTITUTI CLINICI MEDICI HALENSIS DIRECTORI,
PRAECEPTORI DILECTISSIMO MAXIMEQUE VENERANDO



HASCE LITERARUM PRIMITIAS
PIETATIS REVERENTIAE GRATITUDINIS

TESSERAM

ESSE

VULT

AUCTOR.



Prooemium.

Rerum, quae dissertatione medica inaugurali tractentur, optio valde difficilis est: in propaedeutica enim aequae ac in theoretica artis nostrae parte novae alicuius rei inveniendae aut, quae iam ab aliis animadversa est, novis observationibus atque experimentis confirmandae in ultimis vitae academicae annis plerumque et tempus desideratur et occasio; in ipsa vero medicina practica ad meliores rerum adhuc incognitarum observationes instituendas aut ad falsas, quae prius vigerunt, opiniones detegendas et novas easque rectiores proferendas medico iuveni semper deest experientia: in utraque denique disciplinae parte ad novum aliquid atque bonum aut inveniendum aut excogitandum studia nostra plurimum et varietate carent et copia. — Quum autem scriptio quaeque nova novi quoque aliquid proferre necesse sit, dissertationem inauguralem scripturis valde exoptatum est, quod postremis, quae praecipue in studiis practicis coneruntur, vitae academicae spatiis casus alicuius rarioris atque memoratu dignioris, ad anatomiam pathologicam aut ad ipsam pathologiam (eam quidem sensu latissimo) pertinentis, accuratius observandi et in dissertatione tractandi data iis est oportunitas. Itaque maiore tum gaudio affectus fui, quum aestate supe-

riore hermaphroditus ille, quem hic descripsi, hanc nostram accessisset urbem mihi que eius accuratius examinandi non negata esset potestas. Quare mox eiusdem historiam atque descriptionem in dissertatione inaugurali promulgare apud animum constitui. Quominus tamen consilium, quod proposui, perficerem, examen cui me subiecturus fui, peregrinationes aliquae et praesens cholerae aliarumque pestium saevitia et atrocitas me commorabantur aut plane deturbabant. Nunc tandem tempore perinde ac doctrina aliaque rei literariae supellectile deficiente dissertationem quidem concinnavi, tamen mihi ipsi nondum satisfecisse non sine pudore confiteor. Quare Vir aestumatissime, cuius nomen libelli fronti impositum, pulcherrimo ei est decori, suplex oro, ut clementia utaris neque severissime hasce pagellas aut examines aut iudices.

Pars prima

Nonnulla de hermaphroditis.

Introductio.

§. 1. Consideranti et investiganti universam rerum naturam acute mihi ac sagaciter res indagasse in easque descendisse videbantur, qui in qualibet re dicerent vires esse aliquas, quae quasi inimicae inter se pugnent. Etenim certo scimus luci obstare noctem, hiemis frigora caloribus aestatis, pluvioso coelo aëris siccitatem, electricitatis alteram alteri naturam adversari; nec ea quidem solum virium efficacium discordia et quasi pugna in rerum quibusdam generibus et ordinibus deprehenditur, sed in singulis quibusque et animatis et inanimatis adeoque in homine quatenus eam cognoscere licet. Hoc autem virium ab natura insitarum dissensu ac velut inimicitia rerum concentum et concordiam effici conservarique satis constat. Itaque in homine, quem ob summam et animi et corporis perfectionem haud immerito regem terrarum orbis animantiumque reliquorum consalutamus, corporis vires pugnant cum animi facultatibus, quae, quamvis non nisi coniunctae et arctius copulatae aliquid efficiant, tamen per se contrariae ne dicam vehementer infestae debent seungi ac separari; item in corpore humano nervorum systema oppositum est systemati vasorum sanguiferorum, quod utrumque ea oppositione excitetur, adiuvetur, debilitetur et aut coniunctim aut separatim et vicissim vel agat vel patiat. Nervis quidem intercedentibus et adiuvantibus partim vires dynamicae pulsusque externi animo quasi supportantur partim mentis agitationes motusque intimi sensus et cogitationes evehuntur, ita ut facile statuere possimus, nervos, quum summam vim et facultatem in eis positam videas, ex reliquis omnibus rebus menti proximos esse ¹⁾; sed vasorum systema sanguiferorum res corporeas et concretas recipit receptasque facta secretionem rursus eicit. Atque adeo in singulis systema-

1) Reil, Fieberlehre IV. §. 18.

tibus vires quaedam conflictantur et inter se contendunt: nervi vitae animalis et vegetativae, agitationum et sensuum; vel in vasorum systemate opponere potes arterias venis, partes periphericas centralibus, ut demonstretur duplicem illam vim, quae sibi invicem adversaria per rerum universitatem aequabiliter est diffusa, in maximis minimis rerum singularum partibus reperiri.

§. 2. Verum enim vero nobis id praecipue est propositum, ut ostendamus, eandem illam virium discordiam et contentionem in eis organis cognosci, quibus generis humani propagatio et conservatio contineatur: *genitalibus humanis eorumque actionibus*. Ad quod demonstrandum usus sum libro ¹⁾ physici doctissimi, cuius observationibus et eruditione meum quidem animum valde pavi.

Ac primum quidem in consideranda *interna genitalium sphaera* testiculi et ovaria tanquam organa formantia ultro se mihi obtulerunt, in quibus agentibus causa singularis et generandi ratio praecipue sit collocata. Ovarium, quod, quum *forma* globosa sit praeditum, eam ob ipsam rotunditatem suam absolutum et ab nulla re aptum agendi modum praese fert, in summo formationis fastigio deperdit derivantem qualemcunque canalem. Testes autem, quorum *forma* oblonga et ovata vim sive potius nisum propulsationis indicare videntur, organa sunt formandi, in quibus maxima exsuperat egestio. Ab *volumine* testiculorum praepollet expansio, ovariorum contractio. Etenim si hominem consideraveris, ratio inter ovaria et testiculos intercedit ab pondere eadem, quae est inter numeros 1: 2; ab longitudine 1: 2, 25; ab latitudine 1: 4; ab crassitudine 1: 4, 50 ²⁾. Atque in *collocatione* etiam muliebrium masculorumque genitalium discernere aliquam antithesin possumus: apud feminas genitalia huius sphaerae *intra* sunt posita, apud mares *extra*: in plantis illud est centrale, hoc periphericum, animalium ovaria plerumque posita sunt intra, testiculi extra abdomen.

Media sphaera ³⁾ (duct. defer., vesicul. seminal., tub. Fallop., Uter.) in medio posita tanquam principium est compositionis ut interna illa sphaera, quidquid protulerit, huic mediae tradat, in qua traditum perficitur et excolitur. Ductus deferentes et tubae Fall. recipiunt et transportant, quod in sphaera interna ortum creatumque est. Utriusque autem canalium initium patens et apertum est (apertur. abdominal. tubae; epididymis), et ab utroque latere in mediam corporis lineam discurrit. Uterus et vesiculae seminales sunt cavationes ex membranis mucosis factae, quae intestinum rectum inter et vesicam sitae ductus deferentes vel tubas excipiunt et amplectuntur, quidquid ex formationis organis proficiscitur.

1) Burdach, K. F. die Physiologie als Erfahrungswissenschaft. Th. I. Leipz. 1826. p. 95. sqq.

2) l. c. pag. 99.

3) l. c. pag. 112. sqq.

Muliebria huius sphaerae genitalia volumine duas reliquas sphaeras superant, in masculo hae praestant mediam. Haec organa sunt in masculis quasi altera pars formantis illius organi et materiam interna sphaera creatam solum educunt: muliebria tamen organa praeter facultatem efficiendi functione gaudent, ex qua externum aliquid iniectum, introducunt. Quare mas semine immittendo prodit aliquam *motionem*, femina, concipiendo, quum vis quaedam parens accedat, ostendit *formationem*.

In *sphaera externa* ¹⁾ (penis, vagina) muliebrium genitalia magis interna et penitus recondita sunt ita, ut fundum efficiant, masculorum foras prominentia et magis externa magnum quod interest inter mares et feminas constituunt discrimen. Utriusque sexus pudentia sunt forma cylindrica, quae invicem agunt et ut evehant quidquid in media sphaera et conservatur et conformatur, destinata sunt; in mulieribus tamen cylindrus est cavatus, culeo haud absimilis, in abdomen repressus et magis contractionis, conceptionis quam emissionis vi insignis: mariti contra cylindrus libere, fortiter et audacter procidit et prominet et expandendi, penetrandi emittendique vi excellit.

Annotatio. Rosenmueller, Meckel, Carus, Schmidt cet. uterum cum prostata compararunt, quam Burdach ²⁾ autem, ni fallor, felicissime cum mammis contulit. Memorabile vero est, quod saepius hermaphroditorum prostata in patentem et utero haud dissimilem caveam sit immutata ³⁾ — uterus cystoides Ackermann ⁴⁾. — Rudolphi ⁵⁾ uterum simul cum prostata invenit, et uterum cystoidem putavit esse coalitionem utriusque vesiculae seminalis.

§. 3. Iam duplicem illam vim per se quidem sibi adversariam et inimicam tamen ad cunctas res bene conservandas necessariam et saluberrimam non per totam rerum universitatem solum diffusam, sed in ipso etiam corpore humano mirum in modum esse actuosam maximeque in procreatione et generis humani propagatione esse conspicuam, satis copiose demonstrasse arbitror. Etsi vero in virium contentione interna formationibusque et, quae vocantur, organisationibus repugnatio et discordia exhibetur, illarumque antithesium efficacitas varia quidem est ac diversa, tamen propter analogiam ac similitudinem vires illae atque organisationes nequaquam sunt per se separatae et plane disiunctae, sed admittunt, quin flagitant etiam *transitiones levissimas aliquas, quae in medio positae velut conciliatrices factionum duarum societatem communitatemque et concordiam constituunt*. Ita nox transit in lucem per diluculum et crepusculum, frigus vertit in calorem temperies, quam nesciunt,

1) l. c. pag. 171.

2) l. c. pag. 146.

3) Meckel in Reils Archiv XI. pag. 317.

4) infant. androgyn. hist. et iconograph. Jen. 1805.

5) Froriep Notiz. a. d. G. d. N. u. H. X. Nr. 205.

utrum refrigerationi alicui an tepori accenseant; ita lucis cum calore consociatio est fortasse conformata utroque electricitatis polo coniuncto. Ita quoque, nisi egregie fallor, sunt, quae, quoniam inter mentem puram veramque et corpus quasi medium tenere videntur, haud possis affirmare, cuinam adscribi debeant, velut lunatici et somnambuli ¹⁾. Atque plurima et in aegris et in sanis hominibus esse observata, quae neque soli nervorum systemati neque vasis, sed utriusque communitati et societati adnumerentur necesse sit, physiologici et medici ex usu et experientia edocti satis sciunt. Adeo in vulgus est notum, in rebus concretis, quas in tria quasi regna dirempserunt, transitum ex alio ad aliud tam levem tamque tenuem et subtilem esse, ut dicere nequeant, ubi tandem alterum desinat, alterum incipiat; atque eadem subtilitas separationis non in regnis modo tribus cernitur, sed est etiam in eiusdem regni classibus, ordinibus, generibus, stirpibus, familiis maxima transitionis obscuritas; paullatim et pedetentim res inorganicae prorepunt ad organicas, plantae ad animalia, animalia reliqua ad homines; omnia enim nexa inter se et praeclare iugata sunt tenore aliquo continuo, quo universus mundus fiat totum quiddam et simplex. Sed in deliberandis rebus organicis positam esse constat illam sententiam, ne quis infimi regni perfectissima quaeque conferat cum imperfectissimis regni nobilioris, vel hiece quaerat modum transitionis, sed ut *in utroque regno infimis et imperfectis generibus indagatis simplicissimas plantarum species cum animalium formis ignobilioribus componat* ²⁾; quibus compositis ratio quaedam demonstrari potest transitionis, coniunctionis et quasi cognationis.

Sic exempla ut depromam, animalia radiata, infimae animalium classes, ab structura acotyledonibus ex plantarum regno sunt cognata; neque ab animalibus infusoriis transitum quis quaerat ad plantas, rosaceis in auxilium vocatis, sed melius et tutius est, si, quum infusoria sint vitae animalis prima initia, in plantis quoque ea cum infimis familiis, velut cum mucore conferantur ³⁾.

§. 4. Harum autem sententiarum quaestionumque naturalium uberiori diligentiorique expositioni, quum historia naturalis et imprimis physiologia eas iam satis circumspecte coluerint, hic supersedere possumus. Argumenta autem raptim memorata et ex physiologia deprompta, in nostram rem convertamus, ut, quod vel ex analogia quadam concludi potest, doceatur, naturam feminicam et masculinam, etsi sibi invicem sint oppositae, habere tamen quo possint optime componi. Sed quaecumque quum compositio similitudinem desideret, similitudo autem cognationem quandam, et cognatio sine alius rei in aliam transitu levissimo ne cogitari quidem animo possit, necessario inde consequitur, rationem aliquam

1) Treviranus Biologie IV. pag. 28 sqq.

2) Tiedemann Fr., Physiologie des Menschen I. pag. 82 sqq.

3) Schubert allg. Naturgesch. 1826. pag. 469 et 635.

transeundi et cohaerendi inter masculum sexum et femineum intercedere. Ratiocinatio haec ad *hermaphroditos*, quos nobis hic considerandos sumpsimus, nos coëgit.

De natura hermaphroditismi.

§. 5. Vera hermaphroditismi indoles et natura constat *consociatione et communitate plus minus perfecta sexus utriusque cum in structura genitalium* ¹⁾ *tum in toto corporis habitu in uno eodemque homine.* Hanc formationem deprehendimus in plurimis plantarum classibus et in multis animalibus aliis normalem, in aliis innormalem. Uterque autem normalis et innormalis hermaphroditismus in eo positus videtur, quod genitalia necessarie eodem typo culta et formata, non per se et absolute sed relative sint discreta et quod in primitiva plantarum animaliumque forma omnino nulla adfuerit genitalium differentia ²⁾. Quare ubi pristina et primitiva natura conservatur, ibi modo normalitas est modo innormalitas.

Hermaphroditismus plantarum.

A. normalis.

§. 6. Plantarum, quae simpliciora et ceteris rebus organicis imperfectiora continent corpora, summum est ab reliquis discrimen, quod vocamus *sexualem indifferentiam* ³⁾. Eam autem duplicem esse apparet; est enim vel *genitalium defectus* vel *sexualitas localis*. Pauca tantum genera quaedam, velut dioeciae (eo quidem, quem constituit *Smith*, sensu strictiori), sexualitatem individualement non genitalibus modo, sed omni etiam cum formatione tum vita demonstrant.

Omnino genitalibus destituta est ingens plantarum vis inferiorum ordinum, qui falso cryptogamicae nominari videntur, velut Lichenes, Algae, Fungi, Filices. Nam sine veris generationis organibus et functionibus propagantur sporis. Cognati illis Musci partim monoecici, partim dioecici, partim sunt veri hermaphroditi. — Decem novem primae *Linnaei* classes continent omnes et mascula et feminea genitalia uno eodemque flore, sed sunt seorsim separata; classis tamen vigesima nominat perfectissimos hermaphroditos: genitalia enim utraque in gynostegio coaluerunt. — In monoecis, dioecis et polygamiis sexus individualis, genitalibus in varios flores aut stirpes diversas distributis, animadvertitur, quamquam hic quoque saepe hermaphroditi iuxta videntur rari. Planius et clarius sexus seiunctio in dioecis (*Smith*) est indicata, quum non in varias stirpes solum sit divisa, sed reliqua tota plantae structura propriam sexus indolem manifestet.

1) Meckel l. c. p. 267. — Id. Handbuch der pathol. Anat. II. p. 197.

2) Id. System der vergl. Anat. I. p. 440.

3) Burdach l. c. p. 192.

B. innormalis.

§. 7. Magna illa sexualis indifferentia, quam in genitalibus plantarum invenimus, ex eo quoque manifestior est, quod in ipsis plantis quae optime sexuum discrimina expresserunt, degeneratio ad hermaphroditismum creberrima est, velut in plantis femineis urticae dioicae, mercurialis annuae, spinaciae oleraceae, cannabis sativae, cet. saepius una animadvertuntur flores masculi.

Hermaphroditismus animalium.

§. 8. Sexualis indifferentia, in quae plantarum primaria indoles expressa est, in infimis etiam animalium generibus deprehenditur, ubi hermaphroditismus norma generalis est. In classibus superioribus sexus singulis distributus, separatim et perspicue excussus naturam animale constituit. Haec natura eo perfectior apparet ex toto animalium habitu, simul eo rarior est hermaphroditus, quo artificiosior corporis est structura, cum primis quo compositiora sunt genitalia. Simplicioribus genitalibus, sexusque discrimine haud iuste et perfecte indicato, hermaphroditi creberrimi sunt.

Hermaphroditismus normalis.

§. 9. Inferiores animalium classes perinde ac plantarum genera humiliora maximam partem non genitalibus uti propagantur *generatione surculari*.

Infusoria simpliciora augescunt divisione, compositiora nonnumquam germinibus circularibus (embryonibus), velut *Brachionus patina* ¹⁾, in quo ad utrumque ventriculi pulsantis latus corpuscula ovarii simillima inveniuntur, quae grana continent ovata haud absimili forma sporarum, in algis, fungis cet. observatarum.

Polypi et *Zoophytae* augentur racemis et surculis. Tamen *Ellis* constituit, nonnumquam in corallinis pusillas apparere utas et propterea stirpem propagari singularibus organis. *Cavolini* docuit in aqua, ubi Gorgoniae versentur, inveniri subrubicunda et subrotunda corpuscula, quae effracta contineant ova. Talia corpuscula, tamen paullulum oblonga, in ipsis Gorgoniis etiam animadvertuntur. *Meckel* haec ova nihil nisi surculos esse putavit, qui ex parietibus interioribus orti et ad quos formandos necessaria esset similitudo quaedam genitalium, quae in dignioribus essent generibus animalium ita, ut singulare quoddam adesset organum, sine quo surculi tamen exstitissent ²⁾.

Entozoa partim sunt sine genitalibus; nam recta via maioribus animalibus nascuntur, ubi versantur, partim sunt hermaphroditi, velut *Cestoidea* Rud., *Trematoda* Rud. Contra

1) Schubert l. c. p. 665.

2) Cuvier G. Vorles. üb, vergl. Anat. a. d. Franz. mit Zus. v. Meckel. V. p. 603.

in *Acantocephalis* (Echinorrhyncho) et *Nematoideis* sexus iam est disiunctus. Horum autem maior pars est femineorum, quam masculorum propterea fortasse quod secundum *Meckel* ¹⁾ genera feminea ubique sunt priora et inferiora, quibus melius perfectiusque cultis et quasi emendatis a natura sexus masculus exstitit.

Annelides, velut *Lumbricus*, *Hirudo*, *Nais*, *Nereis*, omnes sunt hermaphroditi; item *Echinodermata* ²⁾, quae cuncta sine coitu et congressu cum alio fecundantur.

§. 10. E *Molluscis* ³⁾ *Acephali* sunt hermaphroditi, qui sine compressione implentur. Eorum genitalia cernuntur in ovariis in utroque latere corporis sub cute positus. *Cirropodes* quidem sunt hermaphroditi, sed ab masculis genitalibus appropinquant *Crustaceis*, quia testiculi canales albi et tortuosi sunt et in lateribus canalis intestinorum excurrunt; quod idem in *Decapodibus* Crustaceorum invenitur. In *Gasteropodibus* reperiuntur tum hermaphroditi tum sexus secreti. In hermaphroditis huius classis organa utriusque sexus copulata utuntur aut uno eodemque exitu aut separato et vel paullulum vel late distante. Communis exitus genitalium masculorum femineorumque est in *Helice*, *Testacella*, *Parmacella*, *Tritonia*, *The-tyde*, *Pleurobranco* cet. Memorabilis est autem ordo et constitutio in *Limace*, cuius communis genitalium locus est saccus carneus, in quem excedunt ovariorum canalis, penis et vesicula in longum collum similiter extensa (quam iniuste *Swammerdam* in *Muricibus* saccum purpuraceum esse arbitratus est). Coitura haec animalia saccum subvertunt et penis loco suo relicto penetrat in ovariorum canalem alienum. Distantia quaedam haud parva pudentorum masculorum et femineorum est in *Aplysia*, *Onchidio*, *Bullaea*, *Hyalo*, *Pneumodermate* cet. — Inter *Gasteropodes* singularem hermaphroditum efficit *Helix vivipara*, quem ovo-viviparum nominari par est. Eius enim genitalium structura similis est *Gasteropodibus* sine sexus separatione et transitum ad eos patefecit ⁴⁾.

§. 11. Genitalium discretio animadversa est inter *Gasteropodes* in *Buccino*, *Murice*, *Tritonis*, *Strombo*, *Voluta* cet.; *Cephalopodum* sexus quidem diversitas adest, tamen coitus abest. In classibus superioribus animalium non vertebraliū: *Insectis*, *Araneis*, *Crustaceis* et in omnibus animalium vertebraliū classibus praecipue illa seiunctio est expressa, in humano autem genere omnium est ea perfectissima. Sic hermaphroditismus hic est a natura recessio ad genera inferiora.

1) Syst. der vergl. Anat. I. p. 442.

2) Cuvier l. c. p. 600.

3) Ibid. p. 559. sqq.

4) Ibid. p. 577.

*Hermaphroditismus innormalis animalium superiorum, praecipue hu-
mani generis.*

§. 12. Hermaphroditismus abnormis superiorum animalium cernitur in discrepantia quadam plus minus expressa, quae intercedit inter totum habitum genitaliumque naturam vel inter appetitionem instincti sexus, totam corporis formam et formam genitalium; vel cernitur in structura alius corporis partis ex typo masculorum, alius ex lege naturali femineorum ¹⁾. Inclinatio in hanc innormalem naturam in magna videtur posita esse similitudine inter utriusque sexus organa intercedente; ambo enim eandem formationis fundamentalem modum secuta sunt genitalia, qui amplificatione, imminutione vel metastasi ex diversitate sexuum diversus est et varius (cfr. §. 2 et 5).

§. 13. Praestantiora animalia secundum universas formationis leges et naturam omnes fere formas percurrere videntur, in quibus per totam vitam inferiora animalia usque perstituerunt ²⁾. Sic quod attinet ad genitalia, embryo humanus primis initiis destitutus est genitalibus aequae atque inferiora animalia. Dein, genitalibus magis excultis, typum fundamentalem utriusque sexus indicare et praebere videtur ³⁾, et sicut pleraeque plantae et inferiores bestiae vere est hermaphroditus ⁴⁾, usque eo aetatis quo foetus maturior demum inclinatur in hunc vel illum sexum. Statim post in nato homine sexus diversitas et a teneris non tam clare et distincte est expressa et exculpta, quam in puberibus, sexus enim in pubertate summam assequitur perfectionem; imminuta autem vi vitali senectus viribus sexus conspicuis destituitur et pubertatis perfectio abolescit ita, ut mares feminis feminae maribus mirum in modum appropinquent.

§. 14. In animalibus, quibus secretio sexuum est lege naturae praescripta, praecipue pisces ossei nominantur, qui in hermaphroditos saepius degenerent. Quod quidem inde fortasse potest derivari, quod genitalia utriusque sexus in iisdem sunt consimillima et quod voluntariae genitalium functiones paene est excretio tantum et emissio. — Rarissimus est hermaphroditismus avium et insectarum, quum earum natura propter totam vivendi rationem corporisque habitum diversitate sexus genitaliumque usu vario sit optime destinata. Mammalia propter hanc monstrositatem quasi medium tenent, genus autem eorum humanum rarissime ad superiores hermaphroditismi classes inclinatur ⁵⁾.

1) Meckel in Reils Arch. XI. p. 267.

2) Id. pathol. Anat. II. p. 48.

3) Rudolphi l. c.

4) Knox Theorie des Hermaphroditismus in Froriep. Notiz. a. d. G. d. N. u. H. N. 638.

5) Burdach l. c. p. 193.

Meckel Syst. d. vergl. Anat. I. p. 455.

§. 15. Hermaphroditismus aut *innatus* est aut *seriori vita adscitus*; uterque tamen collocatus videtur esse in commutata genitalium primariorum natura, testiculorum atque ovariorum; in duobus his hermaphroditismi ordinibus genitalia minore generandi vi excellunt ¹⁾).

Sic in chryptorchidibus, etiamsi ceteroquin haud adsint deformationes, genus masculinum omnino imperfectius est et semper fere ideirco generationis vis exigua adest. Contra ovariorum ex annulo inguinali descensus cum vagina coarctata vel conclusa vel cum toto marium habitu saepius coniunctus est ²⁾). Probatur quoque magna testiculorum ovariorumque vis in sexibus perfecto et clare tum excolendis tum distinguendis, quod spadones utuntur parva et molli larynge et acuta voce; eorum pelvis feminea magis est quam mascula et corpus omnino crassitudini et pinguetudini aptius. Puellae, ovariis exstirpatis, macrescunt musculosiores; mammae desinunt et menses cessant. Cervis iunioribus eviratis desunt cornua legitima, senioribus, ubi cornua deiecerunt, nova non crescunt; cerva autem, quae in altera parte cornu gestabat, in eadem parte ostendebat ovarium degeneratum et scirrhosum ³⁾).

§. 16. Hermaphroditismus *innatus* plerumque ex evolutione retardata oritur, quoniam in foetu omnes formationes cum totius corporis tum genitalium legitimae sunt, quae tamen ab eo tempore, quo natus modo est et seriori vitae aetate degeneraciones habendae sunt et ad diversum sexum declinationes (§. 13). Clitoris e. c. mense tertio et saepe serius in foetu immanis, erecta necdum ad labia pudendorum est depressa; et infra clitoridem orificium pudendorum distinguitur exigua tantum rimula; nymphae efficiuntur laciniis a clitoride dependentibus urethrae ab orificio usque ad bulbum discissae ⁴⁾). Hoc tempore penis eadem est longitudine et forma, infra apertus. Urethrae masculae orificium suppositum ab magnitudine et situ consimile est pudendorum femineorum aperturae. Inter ovaria ab situ et magnitudine et inter uterum interest eadem fere ratio, quae intercedit inter testiculos in abdomine retentos et vesiculas seminales. Atque corpuscula ovarii *Rosenmuelleri* ratione pari fruuntur cum ovariis, atque epididymides cum testiculis ⁵⁾), scrotum vacuum conferri potest cum labiis maioribus. Iam vero primis initiis vi formandi in foetu impedita commutatae in neonato appropinquatio quaedam et declinatio ad utrumque sexum tanquam abnormitas oritur. Saepe tamen innatus hermaphroditismus non ex illa comminuta formandi vi originem traxit, sed contra ex virium quadam abundantia nascitur, ita ut antitheses illae,

1) Meckel l. c. p. 444; in Reils Archiv. XI. p. 276.

2) Burdach l. c. p. 104.
Meckel l. c. p. 295.

3) Burdach l. c. p. 230.

4) Autenrieth üb. die Verschiedenheit beid. Geschl. in Reils Archiv VII. p. 89.

5) Mayer in Graefe und v. Walther Journ. d. Chir. und Augenheilk. VII. p. 395.

ex quibus hermaphroditus constat, efficiantur organis amplificatis, auctis, plus minus perfectis et ad diversa genera proprie spectantibus.

§. 17. Hermaphroditismus *adscitus* conflatur praecipue utraque illa vitae aetate, ubi sphaera interna genitalium maxime immutari videtur, ineunte scilicet pubertate et evanescente coëundi appetitu. Exempla huc pertinentia recensuit *Meckel*¹⁾: gallinae aetate proveciore acceperunt pennas et calcaria gallorum (*Hunter*); anates (*Bechstein, Rumball*), pavones et phasiani (*Home*) feminei sexus sese masculorum pennis induebant, fecunditate deperdita. Contra cerva, quamquam ei cornu contigerat in fronte altero paulatim valde adultum, tamen peperit duos pullos legitimos (*Wildungen*). Gallinae seniores saepe cucurriunt et cum iunioribus coire concupiscunt, etsi genitalia pristinam eamque naturalem indolem retinuerunt. In muliebribus barbae progerminatio crinisque apparens cum cessatione vel absentia mensium haud raro coniunctus est (*Schurig*).

Exemplis, quibus, pubertate ineunte, testiculi descendi in homine, quem ante feminei sexus habuerunt, virilem acceperunt naturam, novum addere possum documentum fide firma et certa satis dignum.

In vicinia urbis patriae meae vitam duae puellae degerunt una educatae, altera alteram amore et pietate superantes. Pubertate adveniente menses alterius tantum, natura debilioris, fluebant et mammae et totius corporis structura legitime adolescebant; altera autem erat conspicua corpore strenuo, firmo fortique animique virtute et intelligentia mentis; tamen neque mammae neque menses apparebant. Haec vero, quum aliquando salisset, accepisse dicitur organa virilia, quae ex abdomine ante recondita processissent et virilis sexus habitus alteram in matrimonium duxisse. Verisimile est testiculos tum demum in abdomine absconditos decessisse in scrotum usque id temporis vacuum, nec penis, quem antea falso clitoridem esse credebant, orificium vidisse et observasse videntur.

§. 18. *Meckel*²⁾ hermaphroditos praeterea discrevit a *quantitate*, quod sint vel sine vel cum adaucto genitalium numero, et a *qualitate*, quod antitheses supra commemoratae sexualitatis in utroque corporis latere, velut in crustaceis, piscibus et avibus, vel in superioribus et inferioribus superimpositae sint diversae. Hermaphroditismus sine adaucto partium numero dividitur in femineum, (*Androgynia*), cui adnumerantur viragines, ordo scilicet infimus, et in masculum (*Gynandria*), ad quem pertinent mares effeminati.

Similem statuit *Mayer*³⁾ distributionem; primum genus dixit esse eos, qui natura duce utrumque sexum vel attingere vel compensare petant — *hermaphroditos imperfectos* sive

1) In Reils Archiv. XI. p. 272 sqq. Syst. d. vergl. Anat. I. p. 444 sqq

2) Syst. der vergl. Anat. p. 445 sqq.

3) in Graefe und v. Walther Journ. VII. p. 393.

„Zwitter mit *einfacher* Geschlechtspolarisation,“ secundum autem eos, in quibus plura vel omnia pudendorum organa utriusque sexus perspicue expressa sint — *hermaphroditos perfectos* sive „Zwitter mit *doppelter* Geschlechtspolarisation.“

§. 19. *Portal*¹⁾, qui quidem hermaphroditos generis humani addubitavit, haec quatuor constituit, tamen speciosa magis quam vera ratus, genera: primum genus, quod accurate et distincte utrumque sexum simul cum propagationis facultate in se coniungit: alterum amplectitur eos homines, qui omnibus masculis et nonnullis femineis genitalibus sunt praediti, tertium, in quo feminea praecedunt masculis; quartum denique in quo neutrum sexum accurate distinguere possumus. Inde facile apparet, genus primum profecto in hominibus rarissime esse; secundum idem est ac *Meckelii* hermaphroditismus cum aucto genitalium numero (§. 31.); tertium est Gynandria *Meckelii* (§. 21.); quod sibi autem *Portal* sub quarto cogitaverit haud satis accurate possum enucleare. Addit autem haecce: „dans la quatrième on a placé ceux, qui avaient quelque tumeur extérieure, ou quelque vice de configuration externe, qui empêchait de distinguer le sexe, qui n'est point développé.“ — Forsitan genus innuit, quod *Wrisberg*²⁾ nominavit *monstruosum*, cuius quatuor ordines haec amplectuntur: 1) diversas formationes sine certa sexus expressione; 2) mares sine pene perforato, 3) intestinum rectum cum genitalibus consociatum (cloacam), 4) vesicam urinariam fissam.

§. 20. *Burdach*³⁾ ex genitalium comparatione supra (§. 2.) exposita distribuit hermaphroditos in tres classes hasce: prima et summa constat ex compositione genitalium utriusque sexus ad internam sphaeram pertinentium; secunda amplectitur deformationes mediae sphaerae, praevalet hic alter altero sexui, qui tamen propter alterum aliquando obscurius est; tertia eaque infima continet externae sphaerae abnormitates; secunda classis atque tertia insuper dividuntur in gynandros et androgynos. — Hac vero distributionis ratione res mihi nec exhausta nec satis accurate exposita videtur; nam non habeo cuinam classi e. g. ovariorum descensum in maiora pudendorum labia adscribam. Hoc enim exemplum tertiae classi adhaeret, quatenus sphaera externa ex muliebri forma in masculam (scrotum fissum) transit, si tamen consideramus ita, ut processu illo tota ovariorum efficacitas, proinde organa interioris sphaerae commutentur et commutatio ea summam in toto habitu vim habeat, illud exemplum neque tertio neque alii ulli ordini accenseri potest. Sic *Burdach* cryptorchides in tertia classi posuit, quamquam in illis non organa ad externam sphaeram pertinentia deformata sint, sed situs potius testiculorum ad internam sphaeram spectantium est, in quo

1) Cours d'anat. médic. V. p. 473 sqq.

2) Meckel pathol. Anat. II. p. 220.

3) l. c. p. 193 sqq.

hermaphroditismus hic cernatur. Nec certo scio, cuinam harum classium attribui ea exempla, quae sine clavis qualitativis formarum degenerationibus non nisi quantitativa abnormitate structurae et genitalium et totius corporis reliqui excellant? Commemorabo tantum mares effeminatos, ab *Home* et *Renauldin*¹⁾ observatos, quorum mammae alte adoleverant, sine ullis barbae vestigiis, et qui molli cute, corporis rotunditate, manuum brevitate, penis parvitate testiculorumque gavisus sunt.

Praetermissis reliquis divisionibus et ordinibus iam hermaphroditos singulos ex *Meckelii*²⁾ constitutione et sententia brevi componemus compositosque comparabimus.

Classis prima

Hermaphroditismus sine adaucto genitalium numero.

Ordo primus.

Hermaphroditismus femineus. (Gynandria Meckel.) Androgynia.

§. 21. Initium huius classis incipit a *viraginibus*, in quibus a structura genitalium externorum magnitudo, internorum parvitas, a toto corpore maior firmitas et amplitudo, a functionibus amenorrhoea vel adeo imperfectio mensium et appetitus coeundi destitutio plus minus perfecta, sterilitas, vocis gravitas et delectatio occupationum virilium apparet. Organizationes igitur hic ex quantitate modo, functiones autem partim qualitate quoque sunt immutatae. Quare *Burdach*³⁾ hunc hermaphroditismum *dynamicum* nominavit.

§. 22. Secundum genus amplectitur eos hermaphroditos, quorum vagina est vel coarctata vel conclusa, clitoris a quantitate et qualitate similis est peni, ubi denique descensa ovaria maiorem feminarum ad mares constituunt appropinquitatem.

Est autem angustia vaginae vitii ex evolutione retardata adnumeranda (§. 16.). Ex quo genere nonnulla observarunt et descripserunt *Morgagni*, *Mac Cormick*, *Naboth*, *Rocderer*⁴⁾, *Sandifort*⁵⁾, *Richter*⁶⁾. — *Columbus*⁷⁾ clitoridem digiti longitudine cum

1) Meckel path. Anat. II. p. 208.

2) Ibid. p. 197 sqq.

3) l. c. p. 220.

4) Meckel pathol. Anat. I. S. 663.

5) Observat. anatomic. pathol. lib. II.

6) Chir. Biblioth. Band VII.

7) De re anat. XV. p. 494.

vagina angustiore quam apicem digiti minimi invenit. *Saviard* ¹⁾ in puella aliqua indagavit maiora pudendorum labia medio concreta, supra et infra fissa fuisse. *Osiander* vidit in bima puella nymphas coalitas.

Clitoris a *quantitate* peni similis excellit immanitate (§. 16.), quae iterum in homine deformationibus ex evolutione impedita adnumeranda, in simiis contra norma est. *Osiander* ²⁾ maiorem clitoridem raram esse credidit, quoniam nimirum ipse nequaquam exemplum viderat aequae ac *Thomsonius* (Edinburgensis), quem dixit neque in Britannicis, neque Franco-Gallicis, neque in Viennae museis exempla talia invenisse. *Feiler* ³⁾ quoque nullam iusto maiorem clitoridem animadversam esse scripsit. Invenerant autem inventasque probarunt *Home, van Horn, de Graaf, Diemberbroek, Cheselden, Portal, Hardy, Béclard* aliique. — *Clarke* comprehenderat in aethiope clitoridem remissam duorum, erectam trium digitorum longitudine, *Gallay* longitudine 5½ digit., *Arnaud* tam crassam, quam penis est, et longit. 3 pollic., *Columbus* ead. longit., *Panaroli* tam longam, quam penis est pueri duodecim annorum; *Plater* inter clitoridem et collum anserinum nihil fere discriminis a longitudine reperit; *Haller* longit. 7, *Chabert* 12 digitor. clitoridem viderunt ⁴⁾ — In nimia clitoridis magnitudine veteres medici amputationem commendarunt, cuius operationis methodum *Avicenna* et alii medici Arabes descripserunt. *Dubois* ⁵⁾ hac operatione suscepta curare petiit nymphomaniam et paulos ante annos eadem Berolini adhibita est felici successu ad curandam onaniam ex onania ortam ⁶⁾. Saepe mulieres hac insolente clitoride praeditae cum mulieribus malefice consueverunt ⁷⁾. „Istas mulieres, quae inter se sine viro, clitoridis beneficio, venerem exercent, *Tribades* vocant ⁸⁾.“ Quod adulterium Graeci nominaverunt *ἀσέλγειαν τριβαχήν*.

Qualitativa mutatio clitoridis imprimis cernitur in urethra totum hoc organum perforante — quae abnormitas in hominibus rarissima est. Similis formatio normalis invenitur

1) Autenrieth in Reils Archiv VII. p. 90.

2) Handb. der Entbindungskunst I. p. 144.

3) Ueber angebl. menschl. Mißbildung. Landshut 1820.

4) Meckel pathol. Anat. II. p. 203. Id. in Reils Archiv XI. p. 292 sqq.

Baillie Anat. des kr. Baues, a. d. Engl. 1820. p. 240 et Anhang p. 163.

Portal l. c. p. 473 sqq.

Burdach Bericht v. d. anat. Anstalt zu Königsb. p. 43 et 69.

5) Thomas modern. pract. of phys.

6) Graefe et v. Walther Journ. VII, 1.

7) Tulpus observat. III. cap. 35.

8) Tronchin diss. de clitoride L. B. 1736.

Riolan Anthropolog. II. p. 188.

in generibus Maki et Lori, ubi urethra in tergo clitoridis producta iuxta vaginam finitur. Qua de re nonnulla scripserunt *Arnaud*¹⁾ et *Burdach*²⁾.

§. 23. Ovaria in maiora labia pudendorum descensa (§. 15.) summam cum scroto fisso similitudinem praebent, sed rarioribus formationum degenerationibus sunt adnumeranda propterea, quod hic quoque valet lex illa, has deformationes saepius contingere organis levioribus quam gravioribus et rarissime tantum vim habere in functionibus alienandis³⁾. Itaque abnormitates testiculorum ovariorumque sunt rarissimae, saepius prostatae, vesiculae seminalis, vasis deferentis, uteri et tubarum Fall.; creberrime penis, scroti, clitoridis, labiorum et vaginae deformationes deprehenduntur. Plurima huc pertinentia recensuit *Meckel*⁴⁾. — *Meyer*⁵⁾ in mortuo infante sex annos nato scrotum fissum in eoque corpuscula vidit, quae a situ, forma, velamento (tunica albuginea) et textura putavit esse testiculos, nihilotamen serius propter ceterorum genitalium dispositionem et distributionem rebatur esse ovaria.

Ceterum cunctae hae abnormitates ante enumeratae (§. 21. 22. 23.) rarius separatim apparent, plerumque enim plures vel omnes copulatae animadvertuntur.

O r d o s e c u n d u s

Hermaphroditismus masculus. Gynandria.

§. 24. *Mares effeminati*, qui infimum huius ordinis obtinent locum, a structura genitalium parvitate; a toto corporis habitu imbecillitatem, rotunditatem, barbae inopiam, pelvis latitudinem, inclinationem ad pinguedinem; a functionibus facultatem coeundi aut plane deficientem aut tamen imperfectam, animum ab occupationibus virorum alienum, amorem operum matronalium ac denique vocis tenuitatem prae se ferunt. Oppositi viraginitibus ab *Burdachio* hermaphroditis dynamicis adnumerantur (§. 21.). Transitionem aliquam levisimam ad sexum femineum hic adesse perspicue inde apparet, quod, quae in masculis tamquam organorum muliebrium incitamenta nec nisi rudimenta deprehenduntur, genitalia in maribus effeminatis vere excoluntur. Huc pertinent mammae nimis intumescens, cetero virili corporis habitu, quod exemplum *Meckel*⁶⁾ haud procul a norma recedere putat. Unus eorum, quorum institutione usus sum, praeceptorum, qui permagno orphanotropheo medicus est praefectus et cui saepissime pueros observandi data est facultas, affirmavit, sibi saepius contigisse, ut videret, in iuvenibus, cetero corporis habitu virili, pubertatis tempore

1) Sur les hermaph. p. 309.

2) Bericht p. 40 et 62.

3) Meckel Syst. der vergl. Anat. I, p. 447.

4) Pathol. Anat. II. p. 203.

5) Graefe et v. W. Journ. VII, p. 385 sqq.

6) Pathol. Anat. II. p. 208.



mammam intumuisse et humorem lacteum secrevisse. Plura exempla narrant *Schacher, Getze, Brookes, Homo. — Ansiaux* ¹⁾ in viro satis firmo et valido laevam mammam sicut in mulieribus vere intumidam et amplificatam esse invenit.

His addi possunt ea, ubi in genitalibus masculis alioquin legitime formatis mons veneris magis excultus et symphysis ossium pubis latior est, quam plerumque esse solet. De quibus nonnulla praebuerunt *Home et Renauldin*.

§. 25. Perfectissimi huius ordinis hermaphroditi sunt, quorum penis parvus est et imperforatus, scrotum et perinaeum fissum, penis bifidus et testiculi in abdomine retinentur. — Quorum deformationum creberrima cernitur in parvitate penis, quae plerumque cum pluribus omnibusve sequentibus est coniuncta. Ab pene imperforato, qui in *Ai*, in avibus et reptilibus ²⁾ normalis est, infimum ordinem constituunt *hypospadiaci*, quorum numerus in genere humano non ita parvus est. Ovis viva hypospadiaca alebatur in schola veterinaria Dresdensi ³⁾. — In maiori huius deformationis gradu urethra a postica penis parte vel, quod rarissimum est, eodem loco aperitur, ubi urethra feminea, sub symphysis ossium pubis. Quacum abnormitate saepius simul animadvertitur scroti et perinaei fissura, quae his in organis unum sive duo cava format. Plurima huc spectantia exempla narrantur a *Meckel* ⁴⁾ et *Baillie* ⁵⁾ sicut in *Asclepicio* ⁶⁾. *Tulpus* ⁷⁾ descripsit memorabilem puerum, qui pene imperforato, cuius glans lacuna tantum erat instructa, e rimula in scroti rugis fissa urinam emisit.

§. 26. Scrotum fissum apud lepores, sorices, ruminantes et solidungulos ⁸⁾ legitimum est. Haec formatio indicat perstitisse hocce membrum in ea fissura, qua in prioribus vitae foetalis temporibus tota anterior corporis pars erat divisa ⁹⁾. Scrotum fissum labiis pudendorum simillimum est, ut perinaeum fissum haud multum differt a vaginae forma. Perinaeum fissum in maribus generis *Cavia* normale est.

Cur inferior clitoridis et anterior perinaei pars (vagina et labia pudendorum) in feminis re vera fissa, haec fissura in maribus autem non nisi futura quadam indicata sit, *Au-*

1) Meckel in Reils Archiv XI, p. 307.

2) Cuvier l. c. p. 502.

3) Froiep Notiz. 1826. Nr. 321.

4) Pathol. Anat. II, p. 209. — in Reils Arch. XI, p. 309.

5) l. c. p. 201.

6) 1811, p. 240.

7) Bonn üb. selt. u. widernat. Beschaffenh. der Harnblase u. der Geschlechtstheile a. d. Holländ. 1782. pag. 12.

8) Cuvier l. c. p. 401.

9) Meckel pathol. Anat. I, p. 93 sqq.

tenrieth ¹⁾ ita interpretatus est: corpora maiore gravitate specifica omnino alia arctius et cupidius attrahunt quam corpora minore gravitate. Ex partibus corporis humani maximae gravitatis specificae esse videntur ossa. Iam vero quum in pelvis minoris exitu ossium margines ab uno ad alterum latus in feminis praecipue late pateant, genitalia externa non solum diffundunt, sed, ubi inter utrumque latus summum spatium est, novum etiam inter urethram et anum formant cavum (vaginam), in quo canalis, qui „genitalium glanduloso-
rum“ productum evehit, est ostium, quod in angustiiori marium pelvi cum urethra coniungitur. Quamquam vero mihi non propositum est, examinare, utrum illa physices lex in organismi formatione demonstranda adhiberi liceat, annon: hoc tamen ausim contra monere, in priori embryonum vita et masculorum et femineorum corporis fissuram adesse ²⁾ ac deinde in serioribus foetuum temporibus, ubi in femineis quidem fissuram illa remaneat genitalium, in maribus vero evanescat, sexus discrepantiam a pelvis spatiis nondum satis perspicue indicatam esse. Defendi tamen possit illa sententia eo, quod in hermaphroditis masculis scrotum et perinaeum fissum plerumque coniunctum sit cum feminea pelvi late distante. Attamen quaerere quispiam possit, num utraque abnormitas ex una eademque causa originem suam traxerit? —

§. 27. Scroti et perinaei fissura saepe invenitur. Ex iis, quae his diebus observata mihi innotuerunt, duo tantum commemorabo exempla: *Rosenmerkel* ³⁾ viderat Monaci iuvenem, quem usque ad annum aetatis decimum septimum puellam esse crediderunt. Scrotum in raphe fissum in utraque parte conservavit testiculum perfectum; penis fuit tam curvus, ut praepulio haud involuta conspiceretur glans tantum quam pone rugae cutaneae aliquae apparuerunt. Idem fuit hypospadiacus, tamen rimula glandis penis satis distincta. Urethrae apertura in ipso angulo fuit reposita, quem penis et scrotum fissum effecerunt. — Alterum exemplum unus ex amicis meis Heidelbergae hieme anni 1830 — 31 observavit et mecum communicavit; fuit enim homo aliquis, qui annis triginta natus, matronali quidem ornatu erat vestitus, tamen habitu masculino indutus. Genitalia primo ad aspectu muliebria esse videbantur, clitoride aliquantulum prominente. Urethrae apertura valde patuit et aequavit introitum vaginae. Consueverat quoque et cum feminis et cum maribus. sine ullo successu. In labiis pudendorum maioribus vel in scroto fisso, siquidem has partes deorsum presseris, in utroque latere sentiri potuerunt corpuscula subrotunda, quae conicere quis poterat fuisse testiculos in inguibus retentos. Ex urethra etiam tum polluerat tum in

1) Reils Arch. VII. p. 91 sqq.

2) Meckel l. c.

3) Ueber d. Radicalcur des in der Weiche liegend. Testic. München 1820. p. 7.

coitu semen emiserat. — In altera huius dissertationis parte aliud exemplum eiusmodi copiosius et uberius describamus.

§. 28. Fissura penis, quae maiorem hypospadiæ constituit gradum, est appropinquatio et similitudo typi feminei, quoniam nymphae ab clitoride descendentes considerari debent tamquam pars urethrae femineae infra fissa et quia frenulum clitoridis apparet esse dissicatum 1). Fissura et duplicitas penis in Oposso 2) glande fissa indicatur, ac naturalis eadem est in lacertis, anguibus 3) et inter animalia vertebralia in crustaceis 4). Contulit plura huc spectantia Meckel 5), Quae Lepechin et Vallisneri observarunt, in iis, deformatione contemta, coitus efficiebatur; quod bene successisse inde verisimile est, quod semi-canalıs turgescencia penis erecti et vaginae parietibus redintegraretur.

§. 29. Testiculorum retentio in abdomine partim propterea constituit hermaphroditum, quod scrotum vacuum, imprimis vero fissum vulvae sit simillimum, partim, id quod praecipuum est, quoniam organa formandi mascula aequae atque apud feminas ovaria in abdomine sunt recondita. Hoc autem verisimile est summam habere vim ad totam sexus indolem perfecte ac plane constituendam. Testiculorum retentio, quae in genere humano dysmorphism ex evolutione retardata adnumerari debet, naturalis et legitima est in echidna, ornithorhyncho paradoxo, elephante, amphibiiis mammalibus et cetaceis. In chiropteribus, talpis, soricibus, erinaceis pluribusque gliribus extra abdomen quidem posita sunt illa organa, tamen tempore appitionis coitus in abdomen recedunt 6).

Tempus, quo hominis testiculi in scrotum descendunt, incertum est. *Cassebohm* invenit eos in embryonibus menses quatuor conceptis scroto iam impositos, *Wrisberg* tu embryone menses quatuor et dimidium, in alio quinque mensibus ante concepto; *Hunter* in foetu sex menses enutrito. *Camper* affirmavit, e neonatis quinquaginta tribus se quatuor invenisse, quorum ambo testiculi in abdomine fuerunt, tres tantum dextrum testem eodem relinuerunt. *Wrisberg* ex CVI pueris vidit septuaginta tres, qui ambos testiculos in scroto habuerunt; ex XXI quinque pueri ambos testes, septem autem dextrum, novem laevum testiculum in inguine continuerunt; e XII quatuor utrumque, tres dextrum et quinque laevum in abdomine recondiderunt 7). Testiculus, qui neque ante neque ad tempus par-

1) Autenrieth l. c. pag. 89.

2) Cuvier l. c. p. 486.

3) l. c. p. 509.

4) l. c. p. 585.

5) in Reils Arch. XI. p. 313 sqq.

6) Cuvier l. c. p. 401 sqq.

7) Rosenmerkel l. c. p. 4.

tus neque, quod nonnunquam fieri solet ¹⁾ in pubertatis annis ad scrotum descenderit, in abdomine retentus imperfectius adolescit et ad functiones suas legitimas minus aptus esse videtur (*Hunter*). — Plurima huc spectantia *Meckel* ²⁾ et *Baillie* ³⁾ copiosissime contulerunt. —

In hoc quoque hermaphroditismi ordine valet id, quod ante (§. 23) commemoravi, in singulis hermaphroditis plerumque plures omnesve harum deformationum coniunctas inveniri. —

Ordo tertius.

Hermaphroditismus lateralis sine adaucto partium numero.

§. 30. Abnormis genitalium ad diversos sexus pertinentium distributio in utroque unius corporis latere in insectis, crustaceis, avibus, piscibus crebrius invenitur, quam in mammalibus.

In inferiore huius ordinis loco ea puto ponenda esse exempla, ubi cum in maribus tum in feminis in uno alterore faciei latere tantum barba crescat ⁴⁾, ubi in fronte altera cervae alicuius cornu progerminet (§. 15), ubi una tantum mamma muliebriter intumescat (§. 24), ubi prolapsus vel defectus unius ovarii, ubi verus denique aut speciosus tantum monorchidismus sese nobis offerat.

Quae *Verdier* et *Sue* ⁵⁾ descripserunt, huius ordinis exempla superiorem iam obtinent locum. Memorabile quoddam exemplum, quod ipse Berolini in museo anatomico sum contemplatus, descripsit *Rudolphi* ⁶⁾. Infans septem fere hebdomades natus hypospadiacus est, dextrum scroti latus testiculum, epididymum et vas deferens continet, laevum vacuum est. In abdomine uterus est, cuius in sinistra parte tuba Fallop. invenitur, ligamentum rotundum, ala vespertilionum bene formata et ovarium. Corpusculum autem ovatum, planum et durum, quod infra utero adhaeret et cavum obstructum intercludit, si, quod quidem *Rudolphi* opinatur, coalitionem prostatae cum vesiculis seminalibus indicarit, nobis possit persuadere, ut hocce exemplum classi sequenti adnumeremus.

Perfectissimum hermaphroditismum laterale *Scopoli* ⁷⁾ in *Phalaena Pini* invenit, quae alio in latere fuit masculi, in alio feminei sexus, per penem prominentem secum ipsa consuevit et compressa ova peperit.

1) *Meckel* path. Anat. I. p. 692.

2) l. c. p. 691. II. p. 212 sqq.

3) l. c. p. 207. Anhang p. 143.

4) *Meckel* Syst. d. vergl. Anat. I. p. 450.

5) Id. pathol. Anat. II. p. 203.

6) In *Froriep* Notizen: X. p. 105.

7) *Meckel* Syst. der vergl. Anat. I. p. 451.



Ad hunc ordinem etiam *Drouart* 1) illa nota magnam quidem partem pertinere videtur.

Classis secunda.

Hermaphroditismus cum adaucto genitalium numero.

§. 31. Iam vero prima illa hermaphroditorum classis modo considerata praebuit ubique legitimum numerum genitalium, quae aut ad unum modo genus pertinuerunt nec nisi magnitudine, parvitate, situ vel textura alterius sexus organa attigerunt, aut si utriusque sexus genitalia coniuncta inveniuntur, nunquam tamen ea, quae in utroque sexu analogae habentur, simul affuerunt. Sic nobis se obtulerunt vaginae forma et testiculi, species aliqua scroti et ovaria: neque tamen clitoris cum pene, testiculi cum ovarii coniunctim apparuerunt. In hac autem classe genitalium numerus iusto maior et auctior est ita, ut unius sexus organa, quae nominare velim *supernumeraria*, cum analogis alterius sexus in uno corpore coniuncta inveniantur. Hermaphroditi hi, quatenus adaucto genitalium numero dignoscantur, *dysmorphis* ex nimia virium formantium energia adnumerari licet. In multis inferioribus animalibus haec formatio normalis est (§. 9 et 10).

§. 32. Omnia, quae mihi innotuerunt ex hac classe, tribus componam ordinibus. Compositionis principium dependeat a quaestione: sintne sola organa *externae*, an *mediae*, denique *internae* sphaerae utriusque sexus coniuncta (§. 2).

Primo ordini fortasse adscribendum esset exemplum, quod quidem ex manca tantum cognovi descriptione 2). Fuit enim ovis hermaphroditus, in quo duplex penis cum clitoride consociatus inveniatur.

§. 33. Quae secundo ordini adnumeranda mihi in promptu sunt exempla in hac tabula ita composui, ut utriusque sexus organa analogae quae in uno corpore una affuerunt, maioribus typis indicarentur.

1) Id. in R. Arch. XI. p. 299.
Baillie l. c. p. 240.

2) Osiander l. c. p. 418.

	<i>Genitalia mascula.</i>	<i>Genitalia feminea.</i>
1. Canis ¹⁾ .	Scrotum, penis, os penis, testes, epididymides, vasa deferentia.	Uterus, tubae Fall., bursa Vallisnerii.
2. Capra ²⁾ .	Penis, scrotum corrugatum, testes, epididymides, vasa def., vesicul. seminal., duct. eiaculat.	Rudimenta tubarum Fall., Uterus bicornis, Vagina.
3. Capra ³⁾ .	Iisdem atque illa (No. 2.)	Instructa genitalibus.
4. Capra ⁴⁾ .	Penis, scrotum minimum, testes, epidid., Vas. defer., imitamenta vesicularum semin.	Bursa Vall., tubae Fall., Uterus bicornis, Vagina.
5. Capra ⁵⁾ .	Penis, testes, prostata, glandulae Cowp., duct. defer.	Uterus bicornis, vagina.
6. Bos ⁶⁾ .	Vesiculae seminales.	Parva ubera, vagina caeca, Uterus bicornis, ovaria.
7. Bos ⁷⁾ .	Vesiculae seminales.	Vagina caeca, Uterus bicornis, ovaria permagna, testiculis similia.
8. Ovis ⁸⁾ .	Testes, epididym., vas. defer., vesicul. seminal., penis.	Uterus, tubae Fall., vagina caeca.
9. Infans (humanus, VI. menses natus ⁹⁾ .	Testes, epididym., tunica vaginalis testis, vas. defer., vesicul. seminal., duct. eiacul.	Magna clitoris (?), labia pudendorum, (scrot. fiss.?), tubae Fall., Uterus, vagina.
10. Puer novem annos natus ¹⁰⁾ .	Penis, scrotum vacuum, testes parvi (in abdomine retenti), vesicul. seminal., prostata.	Uterus, tubae Fall.
11. Homo XVIII. annos natus ¹¹⁾ .	Scrotum, penis, prostata, vesicul. seminal., duct. eiaculatorius.	Uterus, vagina.
12. Homo, cuius habitus totalis fuit feminus ¹²⁾ .	Duo canales, qui ab ovariiis tendunt ad penem eumque perforant (Vas. defer.).	Magna clitoris, Uterus, magna ovaria, a quibus duo canales in uterum introducuntur (tubae Fall.).
13. Homo cum habitu totale masculino ¹³⁾ .	Penis, parvi testes, in abdomine retenti, scrotum, vesicul. seminal., vas. defer., ductus eiaculatorius.	Uterus, tubae Fallop.
14. Homo octoginta tres annos natus ¹⁴⁾ .	Scrotum, penis, prostata, testes, vas. defer., vesicul. seminal.	Uterus, vagina.

- 1) Mayer in Froriep Notiz. N. 599. 2) Ibid. 3) Ibid. 4) Ibid.
5) Meckel in R. Archiv IX. p. 334. 6) Ibid. p. 332. 7) Ibid. 8) Ibid. 9) Mayer l. c.
10) Meckel l. c. p. 324. 11) Mayer l. c. 12) Meckel pathol. Anat. II. p. 216.
13) Ibid. 14) Mayer l. c.

§. 34. Ordo tertius: testiculi et ovaria, quorum vel utraque vel saltem ea, quae sunt internae sphaerae organa unius sexus, duplicia adsunt raro una reperiuntur. *Mascagni* 1) in tauro tribus annis ante nato duos testes et organum ovario simile invenit. Duos testes duoque ovaria *Borkhausen* 2) in ariete, *Hunter* 3) in asino et tauro, *Laumonier* 4) in hominibus reperit. *Schrell* 5) exemplum designavit, ubi in puero novem mensibus ante nato testes duos simul cum corpusculo papilliforme, quod tubas Fall. et ovaria indicare rebatur, invenit.

Quae huic ordini adscribenda sunt vitia formationis rarissima sunt, quoniam omnino auctus partium numerus rarius deprehenditur, rarissime autem in organis dignioribus, veluti in testiculis et ovaris (§. 23).

§. 35. Inversio et prolapsus vaginae, uteri et vesicae urinariae non spectant ad hermaphroditismum. Quam facile autem his morbis sexus confundi possint, probatur exemplo prolapsi uteri, quod in museo anatomico Jenae conservatur 6). Uterus enim prolapsus est per vaginam ipsam ita inversam, ut in extremo fine prolapsus, plus quinque digitis longi, animadvertatur portio vaginalis, quae quum membranam mucosam villosam et papillarem sincere et intacte conservaverit, profecto glandi penis similis est. In exteriore prolapsus sine est orificium externum uteri, consimile aperturae urethrae penis. Reliqua autem prolapsus pars a portione vaginali usque ad labia pudendorum efficit vaginam inversam, in quam maxima uteri pars, portione vaginali magnaue fundi uteri parte exceptis, proiecta est. Mucosa vaginae inversae membrana secundum texturam, colorem et tegumentum epidermoidale cuti consimillimum est. — Prolapsus eiusmodi nonnunquam sane ad sexus confundendos ansam dederunt (*Saviard, Home, Lafaye*).

§. 36. Controversias diuturnas, utrum sint hermaphroditi humani nec ne, tandem aliquando compositas esse et diremptas, credere nobis liceat. Dubitationes de hermaphroditis humanis praecipue in eo videntur positae fuisse, quod putaretur necesse esse, ut tales homines mares simul sint atque mulieres, functionibusque utriusque sexus felicissime per se satisfacere possint. Sed si quando is, in quo utriusque sexus consociationem plus minus perfectam invenimus (§. 5), hermaphroditus nominatur, ne desideretur tanquam criterium hermaphroditi, quod *maris feminaeque naturam una* habeat, sed sit *neutrius generis*.

1) Meckel in R. Arch. XI. p. 329.

2) Ibid. p. 330.

3) Ibid. p. 331.

4) Burdach Physiol. I. p. 193.

5) Meckel l. c. p. 328.

6) Chirurg. Kupfertafeln. Weimar 1825. Tab. LXI.

Antiquitatem quidem, quae totam rerum universitatem iuveni vigore et poetico quasi studio amoreque contemplata sit, inter utrumque sexum naturam tertiam interposuisse, quae venustatem *Salamancis* eum formositate *Atlantiadis* in uno corpore consociaret neque fortasse unquam de vera illa natura media dubitasse, haud valde miror, quum illa in *Centauris* etiam corporis equini vires cum mentis humanae facultate et praestantia coniunctos et *Dryades* dearum, hominum, plantarumque natura simul esse consignatas crediderit. Nec mirum mihi videtur, hermaphroditos a Romanis propter imperfectam rerum cognitionem nominatos esse ostenta, portenta et prodigia, tanquam monstra contemptos et postea demum *Ulpiani* 1) legibus iura civilia contigisse, quippe qui „sexui praevalenti“ adnumerarentur. Senioribus etiam temporibus doctrina de hermaphroditismo prodigiosissimis et monstruosissimis opinionibus narrationibusque fuit impleta. *Schurig*, *Alberti* et *Teichmeyer* adeo persuasum habuerunt, sexum alterum in alterum posse converti, atque utrumque sexum una coniunctum in uno homine *optime* et *perfecte* excultum reperiri posse, talem autem hominem matrimonium ineuntem iurare debere, se genitalibus unius tantum alteriusve sexus esse fructurum 2). Non minus contorte et praeter veritatem *Montanus*, *Paré* et *Arnaud* hermaphroditorum naturam exposuerunt 3). — Nobis autem gratulamur, quod contigit, ut aetate vivamus, qua naturae scrutatores ad unum omnes, cunctis ex disciplina fabulis sublatis solam veritatem indagare et docere cupiunt, nullis admixtis opinionibus speciosis et conclusionibus nisi iis, quae veritatis investigandae vestigia demonstrant et ab ipsa natura sunt probatae.

Pars altera.

Memorabilis hominis gynandri historia et descriptio.

Vitae curriculum 4).

§. 1. *Maria Rosina Goettlich* e matrimonio *Leubae* in *Lusatia superiore* sitae sexto mensis *Martii* die anni 1798 nata patrem habuit, qui *Gorlicii* stipendia meri-

1) Corp. Jur. X. Dig. 1, 5.

2) *Ebermaier*: *Androgynus* in *Rust Handb. der Chir.* I. p. 722.

3) *Meckel* in *Reils Archiv.* XI. p. 282.

4) Quae in hoc vitae curriculo tradidi ex ipsa *Goettlich* iterum iterumque interrogata et examinata accepi; relata tantum retuli nec verborum veritatem confirmare possum. Atque si quando res aliter quam conieci ceciderit, ne mihi errores imputet iniugatque, Iectorem benevolum rogo atque oro.

tus octo fere annis ante mortuus est; mater illius semper aegrotasse et iam undecim annis ante diem supremum obiisse dicitur. Rosina nostra confitetur, duos natos fratrem et sororem ante se ortam e vita decessisse. Iam octavo Martii die *Maria Rosina* baptizata nomine *puellae* insignita est. — Inde a tenerrima vitae aetate se laborasse dixit multis infantiam morbis; sic commemoravit se nimis brevi linguae frenulo usque ad quintam vitae aetatem in loquendo fuisse impeditam. Ab sugendo haud prohibita fuisse videtur, quum hoc malum ea demum aetate chirurgica operatione curaretur et tolleretur. Deinde loqui didicit, sed temporis aliquid lingua haesitavit. Gorlici eam vaccinatam fuisse infantem e magna laevi brachii superioris cicatrice apparet. Praeterea vexata est scarlatina, eruptione porriginis saepius repetita, odontalgia et febris intermittente tertiana. Pedibus incedere narravit se prima iam aetate didicisse. — Puella parva promiscue cum puellis et cum pueris lusit; nec tamen magis unius alteriusve sexus ludicris est delectata. — Anno aetatis sexto in regione inguinali dextra animadvertebatur hernia, quae maiorem nucem avellanam vel minorem nucem iuglandis aequasse dicitur. Itaque medicus Gorlicianus bracherium praescripsit, quo alligato, quum valde clamitare et vinculum solvere infans soleret, mater bracherio reiecto circum herniam fasciolam linteam ligavit.

§. 2. Pubertate, quam decimo sexto fere vitae anno assecuta est, hernia usque ad magnitudinem ovi gallinacei augebatur. Eodem simul aetate excitatus est flagrans coeundi appetitus, qui *femineae* fuit cupiditatis, nam ipsa Goettlich confessa est, se ubique viros et imprimis milites sectatam fuisse. Vitae anno ab decimo sexto ad decimum octavum se observasse dixit mammarum incrementum, cuius tamen vestigia serius evanuerunt. Iam anno aetatis decimo sexto, postea vero saepius cum viris consuevit ad maximam voluptatem suam et libidinem. Semen immissum fuisse non videtur, clitoris neque in coeundo neque alias fuit erecta, quam serius demum Dresdae cognitam pro parte intestinorum prolapsa („für ein vorgefallnes Darmstück“) initio habuit. Una cum aliis puellis in eodem lecto dormiens nunquam sensit cupiditatem consuescendi. Ab maculatione sui ipsius vacua vult haberi. — Haec autem pubertatem ingressa tam ample adolevit, ut aetatis anno decimo sexto iam illam, qua nunc utitur (§. 9.), assequeretur proceritatem et magnitudinem; insuper tantum musculorum viribus valuit, ut humeris sustinere posset medium ferme frumenti. Reliquo corpore adolescente hernia quoque dextra usque eo magnitudinis increvit, ut iam anno vigesimo doloribus excitatis obstaret, quominus Rosina nostra et incederet et agenda ageret. Quare medicus Gorlicianus anno 1818 bracherium iterum alligavit et primus herniam inguinalem laevam tunc quidem parvam conspexit.

§. 3. Inde a decimo sexto usque ad vicesimum quartum aetatis annum singulis quibusque mensibus male se semper habuisse narrat, cuius aegritudinis decursus moliminibus catameniorum haud dissimilis fuisse videtur. Tum in abdomine acerrimos sensit dolores,

qui ab osse sacro ad genitalia procedebant, artuumque dedolationem et languorem, nonnumquam tam vehementem, ut lecto aegra affigeretur. (Quos dolores liquore spiritus frumenti hausto saepe delentos esse dicit). Affectio illa duos tresve dies plerumque duravit. Eodem tempore aegrotata in hernia neque dolores sentit neque tumorem neque aliam mutationem; nec unquam menses vere fluebant. Saepissime autem se laborasse affirmavit epistaxi, quam si fides eius verbis haberi posset, haemorrhagiam, quae menses deficientes compensaret, fuisse putaremus. Ceterum tanta fuit plethora, ut aegrotata quoque anno saltem semel venae sectionem et cucurbitas cruentas admitteret. Anno aetatis decimo sexto et octavo, utroque tempore post coitum exercitatum, tam profusa se affectam esse refert leucorrhoea, ut humor secretus „cruribus deflueret“ 1). Iisdem temporibus se dolores sensisse ait in abdomine et regionibus lumbalibus. Utroque modo leucorrhoea, quum octo fere dies duraret, acuta fuit. Praeterea chronicis quoque blennorrhoeis ex apertura illa, quam postea (§. 10 et 11.) descripturi sumus, interdum laboravit et laborat.

§. 4. Inde a decimo sexto aetatis anno per plures Lusatiae superioris vicos mercenaria ancilla servit donec vigesimo fere tertio aetatis anno *Rumbergiae* in confiniis Bohemiae ministeria susciperet. Ex hac autem aetate illa, quae supra (§. 3.) catameniorum molimina conieci, non amplius incidisse dicit, contra blennorrhoeam antea commemoratam tanto crebriorem fuisse. Eodem tempore viduum, qui se in matrimonium ducere voluit, sprexit, quod plures haberet natos. Coeundi appetitus hoc quoque tempore iusto vividior et acrior continue remansit, ita ut libidinibus cupiditatibusque omnibus profuse indulsisse videatur. Anno 1827 vel 28. exortum est permagnum ulcus in regione inguinali sinistra (abscessus? bubo?), quod valde dolorosum et effuse suppurans Rosinam duos annos vexavit. Ulcus autem postea apertum hoc in loco cicatricem planam et $1\frac{1}{2}$ — 2 digitos longam reliquit. Hoc tempore prima quae dicit menstrua paulo post coitum exercitatum inciderunt; mane enim indusium reperit nonnullis sanguinis maculis esse adpersum.

§. 5. Eodem tempore vel non multo post hernia inguinalis laeva tam alte lateque in-

1) Ex hac leucorrhoea et, quae eam secuta est, partium excoriatione ortas esse dicit cicatrices illas, quas inter frenulum clitoridis sive penis clitoridei et urethrae aperturam sive vaginam nunc quoque vidimus. Leucorrhoeam ipsam nullo alio remedio nisi aqua profluente et butyro insulso curavit; nam vel pudibunda vel metuens, ne libidines et voluptates, quibus se tradiderat, detegerentur, medicum haud advocaverat; neglexit etiam omnia medicamenta et unumquodque diaetae praeceptum. Nihilominus malum brevi est sublatum sine ulla secundaria aut narium aut oris aut inguim cet. affectione. Qua ratione adductus excoriationem et leucorrhoeam non syphiliticam fuisse puto, sed contra moneo potius utramque vel ex irritatione coitus, quae in angusta urethrae sive genitalium apertura ingentem fuisse conicio, vel ex urinae profluentis acrimonia originem traxisse. Sic chronicam quoque leucorrhoeam, qua serius nonnumquam laborabat, iisdem irritationibus (fortasse etiam tentatione sui ipsius maculationis) et nuperrimis his diebus nimis explorationibus, catheterismo saepius repetito cet. originem debere, versimile est.

crevit, ut eam, quae et ipsa magis magisque augebatur, in dextro latere magnitudine etiam superaret. Simul quoque affuit vehementior et frequentior impetus urinae, quae saepissime quum primis noctu sponte defluxit (incontinentia urinae spastica? enuresis paralytica? *pollutiones nocturnae*?). Autumno anni 1830 hernia laeva tantopere intumuit, ut duobus pugnis aequaret; color eius fuit fuscus, tacta aut pressa magnos attulit dolores et vehementissime ussit, quin etiam bracherium et suspensorium nihil quicquam profuit. Inter utramque herniam partes excoriabantur, simul leucorrhoea affuit ac dolores tam vehementer urebant, ut aegra ne noctu quidem somno posset indulgere. Iam fuit haud idonea, quae ad occupationes vel labores aliquos perficiendos vires corporis contenderet; atque quum hernia facile gangraenescere diceretur, aegrotata anni 1830 mense, ni fallor, Septembri Dresdam se contulit, ut in nosocomio, quod ibi floret, malum operatione aliqua chirurgica sublevaretur. Illius instituti medici, quum aegrotatae genitalia saepius accuratiusque explorarent, iam primum omnino abnormem tum totius corporis quum primis genitalium habitum respexisse videntur. Rosina narrat, herniam laevam Dresdae habitam esse hydrocelem, quae in extrema parte a medicis dissecata permagnam humoris aquei vim, cum aliquantulo sanguinis mixtam, emitteret, ex qua operatione cicatrix unum et dimidium digitum longa adhuc animadvertitur. In ipsa hernia vel hydrocele nulla omnino intestinorum aut omenti pars incarcerated esse videtur. Post operationem institutam saccus herniosus ad eam, quam nunc vidimus (§. 10.), magnitudinem rediit. Malo tandem lente sanato Rosina initio Mensis Februarii (1831.) nosocomium reliquit. Operatio herniae dextrae etiam optata, quum nulla affuisset indicatio, ab illius instituti medicis recusata est. Ancilla igitur iterum non procul ab Dresda ministeria suscepit et, ut ante semper, nunc quoque cum viris saepissime consuevit.

§. 6. Mense Martio anni 1831 foenili deiecta femur laevum laxavit, cuius capitulum retro et supra retractum nec vero totum ex acetabulo evulsum fuisse videtur. Deinde nosocomium Dresdense iterum migravit, ubi ex multis medicamentis hirudines viginti et multae cucurbitae adponebantur, *quibus adhibitis* menstrua iterum noctu provenisse dicuntur. Neque vero ei, quod hac de re retulit, maiorem fidem traderem, quam dubiis illis, quae de prioribus mensibus (§. 4.) mecum communicavit, verbis; nam etiam hoc in casu nihil vidit, nisi indusium sanguine maculatum. Medici vero Dresdenses tunc ad hanc rem admodum diligenter animum advertisse videntur. Serius unguentum quoddam cinereum (Neapolitanum) sibi dixit praescriptum fuisse, ex quo salivatio et mobilitas dentium existeret.

Circa Pentecosten anni 1831. a nosocomio Dresdensi *Lipsiam* se contulit, ubi hernia dextra curaretur. Clinicis institutis autem propter Pentecostes ferias conclusis Dresdam reversa iterum servitia praestitit. Quum vero ob femur luxatum claudicaret et hernia a omnibus operibus et ministris prohiberetur, mox dimissa iterum *Lipsiam* repetiit. Ibi postquam

illam diligentissime et observarant et explorarant, medici operationem herniae non esse instituendam censerunt. Quo facto Rosina nostra die decimo sexto mensis Iunii hanc nostram adiit urbem.

Descriptio.

§. 7. *Corporis habitus totalis* firmitate ac robore et musculosa partium structura valet; sub cute parum pinguedinis adest, ideoque corporis extremitates, imprimis superiores, quum lineamenta musculorum in iis perspicue sint expressa, omni rotunditate feminea carent. Facies sole valdum adusta colorem monstrat vividum, rubicundum. Si erecto corpore stat, G. plerumque caput aliquantulum pronat genuaque paullulum intus convertit.

§. 8. *Ab valetudine, corporis conditione functionibusque* G. nullam paene anomaliam praebet. Cephalalgia, odontalgia et epistaxis non amplius adsunt; organa gastrica legitime agunt, item organa respirationis et systema vasorum, diaphoresis et diuresis naturales sunt. — Sub tussi et sternutatione sponte dextram tenere solet herniam, quae in utroque casu molestissimo afficitur dolore. Cupiditas coeundi continue viget; leucorrhoea interdum redit. Excoriationes quidem non deprehendi in genitalibus, tamen cicatrices ante (§. 3. Not.) commemoratas. Quamquam non amplius claudicat, tamen pes laevus paulo debilior dextro; iccirco totum corpus in sinistrum aliquantulum labare et inclinare videtur.

§. 9. *Configuratio corporis*: Corporis altitudo a vertice ad plantas pedum quinque ped. sex dig. et quinque lin. efficit ¹⁾. Caput forma longa et tenui a vertice ad mentum $9\frac{1}{2}$ dig., ab incremento crinium supra frontem ad mentum $7\frac{1}{2}$ dig. explet. Facies magis masculino quam femineo vultu est insignis. Crines flavi et secundum feminarum morem comati; frons non admodum alta et elata parumque convexa; oculi caerulei prae se ferunt languorem et stuporem, qui toto etiam vultu exprimitur. Nares longae et acutae, qua forma quoque mentum est. *Barba* in labio superiore *tam densa* prominet, ut G. eam iam multis inde ab annis unaquaque hebdomade forfice tondeat. Dentium incisores tres ac nonnulli malares desunt; reliqui omnino integri. — Collum est longum et validum, et cervices eadem firmitate aliquantulum sunt pronae. Larynx ab magnitudine inter virilem femineamque formam mediam tenere videtur. Humeri distant unum pedem et quatuor digitos, i. e. III. dig. latius, quam uterque trochanter mai. oss. femor. Claviculae situs paene horizontalis, *pars acromialis valde curvata*. Humeri, si brachia dependent, rectum ferme conficiunt angulum. Crines axillares valde spissi. Brachia musculosa ac sine adipe sub cute ideoque sine ulla rotunditate; eorum longitudo cum tota corporis statura congruit; manus longae et satis latae. — Thorax supra latius patens infra coarctatur, spatium a superiore margine manubrii sterni

1) Pes unus = XII. digit. Parisiens. sive CXX. lin.

ad scrobiculum cordis VII dig. II lin. continet. Papillae mamillares pusillae et imperfectae; *in utriusque mammae areola duo pili promittuntur*, quibus partibus exceptis thorax haud crinitus est. Inter papillas VI dig. VIII lin. intercedunt. Mammae neque latae et magnae neque convexae neque molles neque elasticae sunt, sed naturam induerunt virilem eamque musculosam. — Scrobiculus cordis distat ab umbilico VI dig. VII lin., umbilicus ab symphysi ossium pubis V dig. IV lin.; inter utramque spinam sup. ant. oss. ilium spatium interest digitorum VIII et VII linearum, inter utrumque trochant. mai. oss. femor. IX dig. III lin.; inter spinam ant. sup. oss. ilium et symphysin oss. pub. VI dig. III lin.; ab secunda vertebra sacrali ad symphys. V dig. V lin.; inter utrumque tuber oss. ischii III dig. V lin. Angulus qui vocatur inclinans (Neigungswinkel) ab secunda vertebra sacrali in superiorem symphyseos marginem conficit 15—16°. Abdomen parum convexum est et angulus ab utraque spin. ant. sup. ad symphysin acutior quam is, qui in corporibus femineis legitimus est. — Extremitates inferiores, quae a spina ant. sup. ad plantas pedum III ped. II dig. IV lin. continent, non crinitae sunt. Crus laevum luxatione sanata aequae longum ac dextrum, hoc tamen debilius est et macilentius; genua ambo introrsus conversa, sinistrum tamen magis dextro; pedum forma concinna. In interiore laevi femoris parte et in sinistra sura crebriores apparent varices.

§. 10. *Genitalia*: Ante symphysin oss. pub. corpusculum, quod vel penis imperforatus vel clitoris haberi possit, longitudine fere sesquidigitali dependet; glans bene formata rimula infra in duos colliculos divisa est, sine ulla tamen apertura, vel scrobiculo aliquo, quod aperturam imitaretur (pars I. §. 27.), triangulare glandis frenulum bene excultum est, praeputium longum et rugosum. — Ab illo corpusculo utrimque descendit hernia inguinalis externa, cuius tegumenta vel maioribus pudendorum labiis, vel scroto fisso formantur. Primo describamus saccum dextrum, qui ab externa canalis inguinalis apertura ad inferiorem ipsius finem IV dig. et in maxima latitudine fere II dig. III lin. continet. In superiore et exteriori superficie crinis crescunt rari. Introrsus et dextrorsus adversum mediam corporis lineam nulli crines apparent; tegumentum hac in regione speciem prae se fert membranae mucosae, quae sensim sensimque cutis indolem accepit, id quod ex. g. in vaginae prolapsu cet. fieri solet. Atque accuratius rem consideranti facile videatur haec sacci herniosi pars e membrana mucosa labiorum maiorum orta esse. Per externa tegumenta in fundo sacci corpusculum, VIII ad X lin. longum, sentiri tactu potest, quod testiculo aut ovario comparandum esset. Super illud invenitur aliud corpusculum cylindraceum, duriusculum magnitudine fere digitali. Inde ab hoc corpusculo et cum eo coniunctus funiculus, circa unam et quadrantem lineae latus, ad canalem inguinalem decurrit. In suprema hernia sentiuntur molliores res, quas crediderim esse partes intestinorum. —

Hernia sinistra circa III dig. longa est. Maximus eiusdem diametrus, infra mediam

totius sacci partem positus, fere digitum continet. In fundo huius sacci pariter corpusculum subrotundum tactu deprehenditur, quod consimile est corpusculo sacci dextri. Prone minutius quoddam sentitur corpusculum, quod fortasse epididymis habendum esset. Quoad herniae tegumenta sinistra cum dextra plane convenit; nam hic etiam extrorsus sursumque inveniuntur crines nonnulli, introrsus et deorsus membrana quoque mucosa paullatim sese immutasse et cutis naturam accepisse videtur. Labiorum pudendorum nulla amplius vestigia animadvertuntur. Inter utramque herniam et statim infra clitoridem emersit triangulare glandis frenulum, cui insident quatuor maculae vel cicatrices supra (§. 3. Not.) commemoratae; huius trigoni finis extremus attingit aperturam rimulae parem, longitudine fere digitali. Deorsus et retrorsus fissura illa plica quadam cutanea sive velo inter utramque herniam extenso perinaeum versus finitur; tamen a tergo huius veli sacci herniosi vel labia vel scrotum seiuncti remanent. Perinaeum inde ab primo veli initio usque ad anum duos fere digitos longum est et bene crinitum.

§. 11 r). Digito in rimam supra commemoratam immisso cavea invenitur duos pollices profunda. Introitum in eam designat annulus substantiae duriusculae, fere cartilagineae, in ipsa cavea sentitur magna partium distentio. Anterior caveae pars latior, quam posterior; membrana mucosa in anteriore cavo plana et distenta, in posteriore nonnullas format rugas. Eadem cavea plica quadam transversa, membrana mucosa contexta, cartilaginea, ab superiore arcu descendente dividitur in duas cellas, quarum anterior sesquidigitalis, posterior semidigitalis profunditatis est. Plica illa, desuper et a dextro latere descendens, sinistrorsum producit et paullulum supra mediam corporis lineam uvulam format, quae usque medium fere spatium totius caveae altitudinis dependet et a qua acute flectens plica sinistroversus sursum escendit ita, ut quantumvis digitis explorari possit, cavea, si a parte anteriore conspicitur, hanc fere formam habere videatur:



In anteriore cella digitus sursum sinistrorsum ab symphysis oss. pub. invenit aperturam rotundam, cuius diametrus unius vel unius et quadrantis lineae est et quae catheterismo saepius instituto aperturam urethrae vel externum vesicae urinariae orificium esse apparet. Altera, quae a tergo illius plicae transversae invenitur, cellula profunditate semidigitali, altitudine sex octove linearum et latitudine septem linearum et plane caeca est, quum praeter introitum nulla in eadem sit apertura. Per superiorem huius cellulae fornicem sentitur cor-

1) Gratitudinis officii adductus haud praetermittendum esse puto, quin cel. Hohl praeceptoris et amici dilectissimi liberalitatem quam aequae ac dexteritatem in genitalibus nostri hominis digito explorandis mihi praestitit, sincero publice hic laudem animo.

pus duriusculum, quod nescio, an vesica urinaria sit an prostata uterusve. Membrana mucosa cellas contegens, quotiescunque eas exploravi, mucum secrevit copiosum, tenacem, albicantem, specifico humoris, qui in leucorrhoea secernitur, odore. — Per anum perscrutans idem, de quo modo dixi, corpus durum tactu sensi, de cuius natura autem nondum certi quidquam referre possum.

Adnotationes quaedam de sexuali huius hominis natura.

§. 12. Iam sententiam meam, *istum hominem esse hermaphroditum*, ut melius defendam, ex historia et descriptione praecedente res quasdam graviore repetam, quibus probetur, maximam quoad sexus indolem hoc in homine esse repugnantiam. *Virilitatem* prodit corporis forma excelsa; pilorum incrementum virile (barba crinesque in mammis et perinaeo); figura thoracis conum formantis cuius basin humeri conficiunt et qui ad abdomen versus coarctatur; deinde pars acromialis claviculae admodum curvata, pectus planum; longitudo sterni; proceritas colli et angulus rectus, quem brachium superne dependens cum humero conficit; inopia adipis sub cute et, quae inde sequitur, durior, firmior et musculosior corporis forma; extremitatum longitudo; praesentia denique herniarum inguinalium externarum, quae indicant, hic, ut in *viris* fieri solet, partes, antea in abdomine retentas per canalem inguinalem ex eodem eductas esse. — *Naturam femineam* contra monstrant magna regionis hypogastricae et latitudo et longitudo, recta linea, qua crines in monte Veneris umbilicum versus finiuntur, pelvis amplitudo et inclinatio et, quae inde dependet, genuum inflexio, apertura urethrae infra membrum (penem vel clitoridem) eiusque frenulum in nymphorum modum productum, fissura denique genitalium infra positorum (pars I. §. 26).

§. 13. De *interiorum genitalium* natura, in qua cognoscenda summa hic posita est gravitas, ante operationem aliquam aut ante mortui huius hominis obductionem institutam vix ac ne vix quidem opinionem aliquam proponam. Si organorum in herniarum fundis quiescentium situm conspexeris et magnitudinem, eadem testiculi esse videntur. Atque consideranti mihi, rariorem esse ovariorum prolapsum (I. §. 33) hic retardatum testiculorum descensum evenisse verisimillimum est. In laevo sacco epididymidem veram cum testiculo arbitror contineri, in dextra autem hernia corpusculum cylindriacum (§. 10) cum processu quodam restiformi et fortasse canaliculato coniunctum, quod supra corpus testi alicui consimilimum sentitur, utrum epidymis sit an aliud quicquam, equidem haud diiudicavim.

Valde memorabilis est perinaei, quae infra membrum et utramque inter herniam invenitur, fissura et cavea illa, quae inde formatur (§. 11). Prior duarum, quae in eadem inveniuntur, cellularum eaque anterior videtur urethra esse amplificata (I. §. 25) posterior concinne haberi possit rudimentum vaginae. Duas consimiles caveas iam observarunt *Ma-*

lacarne et *Giraud*, qui caveas supra impositas invenerunt, ei *Ackermann* ¹⁾, qui, ut in hoc nostro casu fit, alteram alteri vidit antepositam. *Meckel* cellas vel sub vel post caveam urethralem positas putavit prostatam esse in modum uteri conversam; *Rudolphi* ²⁾ autem dixit esse duarum vesicarum seminalium coalitionem (I. §. 2. not.)

Huic nostro casui similia sunt exempla supra (I. §. 27) commemorata et memorabilis ille hermaphroditus, qui adhuc vitam degens multorum calamos vexavit: *Carolus* (ante *Maria Dorothea*) *Derrier*, natus anno 1780, quem *Hufeland* ³⁾, *Stark* ⁴⁾, *Martens* ⁵⁾, *Steglehner* ⁶⁾ cet. fusius descripscrunt, et cuius imaginem cera expressam in celeberrimo museo *Meckeliano* vidi. — *Storer* ⁷⁾ etiam simile quoddam exemplum animadvertit: homo viginti quatuor annos natus virilitatis habitu insignis, sed imberbis fuit nec unquam menstruavit, tamen femineum vestimentum gessit et nomen. Vagina in saccum coecum duos fere digitos ab externa labiorum maiorum parte finiebatur; clitoris et urethrae apertura muliebriter formatae erant; nymphae deficiebant. Labia maiora pudendorum valde dependentia singula corpusculum continebant, quod testiculum cum funiculo spermatico fuisse verisimile est. Mammae in mulierum modo intumuerunt. Quoad appetitum coeundi homo ille nec feminas arsit neque viros.

§. 14. Haec fere sunt, quae ex descriptione nostri hominis repetere voluerim, iam in fine adnotationes aliquas adiungam de rebus in vitae curriculo antea enarratis. — In prima huius hominis infantia sexus femineus videtur praevaluisse ita, ut secundo iam vitae die baptizato puellae nomen daretur. Nec in testimonio baptismi ulla mentio facta est, in ipso baptismo de infantis sexu ullam excitatam fuisse dubitationem. Ubi vero respexeris, tunc temporis testiculorum descensum (aut ovariorum prolapsum) nondum evenisse et in unoquoque infante maximam adesse sexus indifferentiam (I. §. 13), facile rem tibi explicare possis.

Quod autem cum pueris puellisque promiscue lusit, eo sexum aliquem praevaluisse sane non demonstratur. Fieri enim solet, ut rusticorum pueri atque puellae a teneris commixti ludant; necdum satis firme evictum et probatum esse puto: plusne valuerit aliqua

1) Meckel in Reils Archiv. XI. p. 317 sqq.

2) l. c. p. 106.

3) Journal der prakt. Heilk. XII. p. 170.

4) Neues Arch. f. d. Geburtshülfe. II. p. 938.

5) Beschreib. u. Abbild. einer sonderbaren Mißsstattung der männlichen Geschlechtsteile v. M. D. Derrier aus Berlin.

6) De hermaphrod. Bamberg. 1816.

7) Baillie l. c. Anhang. p. 160.

animi vis an educatio artificiosa et consuetudo in ipsis opulentiorum doctiorumque hominum infantibus, ut pueri arma puellaeque pupulas praeferrant.

Id, quod testiculorum descensum fuisse conicio, variis temporibus evenit: testiculus dexter iam anno sexto, sinister paulo ante vicesimo aetatis anno demum devolutus est. In utroque tamen latere genitalia in saccis herniosis contenta, sive testiculi fuerint sive ovaria, pubere aetate magis exculpta esse constat. — Ei, quod de maiore mammarum incremento (§. 2) homo noster mihi narravit, haud magnam fidem tribuam et, etiamsi vera esset, hanc tamen rem in sexu diiudicando non admodum gravem esse, iam supra (I. §. 24) uberius exposui.

§. 15. De statu illo morbo, quem fortasse catameniorum moliminibus excitatum fuisse dixi (§. 3), relata fideliter retuli. Sunt forte qui putent, dolores, quibus aegra vexata erat, fuisse colicos, utpote qui aliquantulo spiritus frumenti hausto depellerentur. At eorum dolorum participes fuissent intestinorum partes in saccis herniosis contentae (§. 10) (Fortasse tamen intestina nondum prolapsa erant.) Si vero dolores illi fuissent colici, narratio huius hominis de morbi illius regulari et paroxysmo et intermissione omnino dubia esse videtur. Neque tamen negligendum est, Rosinam eodem tempore valde plethoricam saepiusque affectam fuisse epistaxi, quae fortasse menstrua vicaria haberi possit, sicut ad maris effeminati sanitatem bene conservandam haemorrhoides nonnumquam desiderantur¹⁾. — Menses ipsos profecto bis affuisse (§. 4 et 6) etiam valde dubito. In primo casu paulo post coitum apparuisse dicuntur; facile igitur fieri potuit ut sanguineae illae indusii maculae ex vulneratione aliqua aut ex alia causa externa ortae essent. In altero casu iterum nocte profuisse dicuntur menses, quorum Rosina nostra postero die nihil aliud animadvertit, quam maculas aliquas sanguineas indusium tingentes; hirudinibus tamen et cucurbitis non multo ante apposis, secundariam quandam haemorrhagiam ex vulneribus illis artificiosis indusium noctu maculasse multo probabilius foret, nisi homo noster pertinaciter asseruisset, sanguinem non effluxisse ex incisus vulneribus. — Menses autem posse affuisse, non est infitiandum; nam etiamsi alteram cellam (§. 11) non habueris pro cavea in uteri modum formata (§. 13), tamen, quum rudimentum quoddam adsit vaginae, etiam sine perspicua eiusdem cum utero, qui fortasse introrsus positus est, communitate mensium fluxus cogitari potest, quoniam uteri vasa cum vagina continue cohaerent, et quum ipsis gravidis adeoque orificio uteri externo *clauso* menstrua nonnumquam contigerint atque menses ex ipsa vagina effluentes interdum sint observati²⁾.

1) Meckel pathol. Anat. II. p. 207.

2) A. ab Haller elem. physiol. corp. hum. VII. p. 147.

§. 16. Ac mihi quum persuasum sit, in sexu huius hominis diiudicando nihil quidquam, in quo aliquid momenti cernatur, praetermitti debere, commemorare non omittam, nocturnam illam urinae emissionem spontaneam fortasse fuisse pollutiones nocturnas (§. 5.). Quinetiam, ut brevi tempore ante audiui, homo noster Lipsiae affirmavit, noctu saepius cum magna ipsius voluptate e fissura illa infra membrum posita tenacem mucum effluxisse. Mihi interroganti contra semper dixit, tale quid sibi nunquam accidisse.

§. 17. Cum plurimis eorum, quae ante exposui, valde discrepat coëundi appetitus, qui in homine nostro a prima pubertate ad mares pronus ne intima quidem cum feminis familiaritate et consuetudine excitari potuerat (§. 2.). *Clauder* ¹⁾ retulit exempla similia, ubi virilitate cum per totum corporis habitum tum per genitalium naturam praevalente coëundi ardor in muliebrum modum affuit. Contra *Osiander* ²⁾ narrat, homines, quorum sexus crederetur femineus, in coenubium monialium receptos virgines monasticas compressisse; alium hominem, qui se ipse putavisset esse femineam ideoque cum marito in matrimonio consuevisset, post mortem cognitum esse marem; alium denique, qui idem haberetur pro muliere, cum iuris consulti alicuius filia coisse eamque serius connubio secum coniunxisse.

§. 18. In hac observationum penuria, quas tamen accuratius instituere nequivi, si mihi de tempore, quo hermaphroditismus hic ortus esset, condonetur iudicium, ingenue fateor me nescire, hic hermaphroditismus utrum innatus sit an adscitus (I. §. 15. 16. 17.). *Innatum* autem esse eo praecipue probatur, quod ea, quae virilitati praevalenti imprimis repugnant—penis parvitas et imperforatio, situs aperturae urethrae, perinaei et genitalium quorundam fissura—omnia habenda esse videntur vitia ex evolutione retardata. Contra statuere quis poterit, *femineam indolem ante profecto praevaluisse*, postea vero ovariorum descensu (I. §. 27.) sexualem tum genitalium cum totius corporis naturam ita esse immutatam, ut mammae desinerent intumescere, barba crescere inciperet, tum pelvis et pectus virilem formam acciperent catameniorumque denique molimina sensim cessarent atque evanescerent.

Ab *qualitate* (I. §. 18.) hunc nostrum hermaphroditum adscribam iis, in quibus sexuum repugnantia sursum deorsum est expressa; nam regio supra scrobiculum cordis ostendit magis virilem, infra posita muliebrem magis prae se fert formam. In inferiori tamen regione partium per canalem inguinalem prolapsus sive descensus pilorumque in ano incrementum virilitatis vestigia sunt.

Iam vero si huic homini locum in classibus ante indicatis et distributis (I. §. 21 sqq.)

1) Meckel in R. Arch. XI. p. 306.

2) Handb. der Entbindungsk. I. p. 418 sqq.

designarem, quantum quidem hac de re sententiam edere licet homine ipso adhuc vivente, putavi adnumerandum eum esse *perfectiori hermaphroditismo virili* (I. §. 24.), ubi sexus virilis praevalet, ad quem autem proxime accedit sexus femineus, qui barba teuui, mammis aliquantulum excultis, pene parvo et imperforato, hypospasia, fisso scroto et perinaeo (quod vaginae imitamentum fortasse immutatione prostatae in caveam utero similem ortum est §. 13.), denique pelvis latitudine indicatur.

Haec fere sunt paucula et exigua illa, quae gravissimae cuidam anatomiae pathologicae parti addere possim: aequi lectores iudicesque quidquid coniecerim et statuerim aequo animo excipiant.

Tabularum Explicatio.

Tab. I. totam hominis nostri figuram (II. §. 9.) ostendit; in tab. II naturalis genitalium externorum herniarumque situs (II. §. 10.) in conspectu est, tab. III. denique, saccis herniosis aliquantulum in utrumque latus subductis, penem clitorideum, et infra eum rimam (caveae aperturam), cicatrices in glandis frenulo positas, velum inter utramque herniam, perinaeum et anum (II. §. 11.) monstrat.

T h e s e s.

1. In inflammatione primum semper afficiuntur nervi.
2. Diabetes est dyscrasia.
3. Fuerunt, sunt, erunt hermaphroditi.
4. Non, nisi parturiens concessit, institui licet sectio caesarea.
5. Aut omnes hermaphroditi sunt monstrosi aut omnino non adsunt hermaphroditi monstrosi.
6. Omnis morbus nervosus.

Curriculum vitae.

Ego Guilielmus de Bippen, religionem evangelicam confessus, natus sum Lubecae anno MDCCCVIII, patre Danieli, matre Elisabetha, e gente Rohlfen. Primis literarum initiis in Catharinaeo, quod Lubecae direttore t. t. Cel. Goering floret, finitis autumno anni MDCCCXXVII. cum testimonio maturitatis dimissus, Heidelbergam me contuli et a Cel. Erhardt Ruperto-Carolini t. t. prorectore in numerum civium academicorum receptus, hisce interfui scholis: Cel. Tiedemann de anatomia humana per duo semestria, de physiologia cum generali, tum speciali per tria semestria; Cel. Gmelin de chemia theoretica, de pharmacologia atque pharmacia; Cel. Muncke de physice; Cel. Fr. Arnold de osteologia et de neurologia; Cel. Leukardt de anatomia comparata; Cel. Dierbach de botanice; Cel. G. Arnold de materia medica et arte formulas medicas concinnandi; Cel. Puchelt de pathologia et therapia cum generali tum speciali; Cel. Naegele de arte obstetricia. Praeterea ad cadavera dissecanda me instituerunt Cell. Tiedemann et Fr. Arnold; institutionibus clinicis Cel. Puchelt unum annum cum dimidio interfui. Anno MDCCCXXX, autumno, Halas Saxonum profectum ibidemque a Cel. Gruber t. t. prorectore civibus academicis addictum me docuerunt: Cel. Krukenberg pathologiam et therapiam cum generalem tum specialem; Cel. Wutzer chirurgiam; Cel. Hohl systema Hahnemanni; Cel. Blasius akiurgiam et methodum operationum in corpore humano perficiendarum. In scholis clinicis medicis Cel. Krukenberg per tria semestria, in obstetriciis Cel. Niemeyer et in chirurgicis Cel. Blasius per annum dimidium ad aegros curandos et sanandos me instituerunt. —

CAROLUS HENRICUS DZONDI

PHIL. MED. ET CHIR. DOCTOR,
MEDICINAE ET CHIRURGIAE PROFESSOR PUBL. ORD. FAC.
MEDICAE ASSESSOR ORD. ET H. T. DECANUS,

DISSERTATIONEM INAUGURALEM

**NONNULLA DE HERMAPHRODITIS
ET MEMORABILIS HOMINIS GYNANDRI**

HISTORIA

CANDIDATI MEDICINAE

GUILIELMI DE BIPPEN,

LUBECENSIS

A. D. VIII. MENS. SEPTEMBRIS MDCCCXXXI

PUBLICICE PROPOSITAM

SUMMOSQUE MEDICINAE ET CHIRURGIAE HONORES

SOLENNI RITU EI TRIBUTOS

INDICIT.

IN EST:

OBSERVATIONUM OPHTHALMOLOGICARUM

PARTIC. IV.

DE MORBIS OCULORUM RECTIUS DISTINGUENDIS ET APTIUS CURANDIS.

HALAE

TYPIS BAENTSCHIANIS.

CAROLUS HENRICUS DNONDI

PHILOSOPHUS ET MEDICUS
MAGISTER ET CHIRURGUS PROFESSOR TURB. ORD. PAB.
MEDICAE ASSessor ORD. ET M. P. DECANUS

DISSERTATIONEM INAUGURALEM

NON NULLA DE NERVA PHRODITIS
ET MEMORABILIS HOMINIS GYANDRI

HISTORIA

CANDIDATI MEDICINAE

GUILIELMI DE RIPPEN

AGGREGATI

M. D. VII. MDCCLXXVII. SEPTENNIO MDCCXXVI

SUMMOSQUE MEDICINAE ET CHIRURGICAE HONORES

SOLENNITER ET LIBERITER

IN EST

CONSERVATIONUM OPHTHALMOLOGICARUM

TABULAE III

DE MORBIS OPHTHALMICIS ACUTIS ET CHRONICIS ET ALIIS QUAE

HABENT

TYPI BASTONIAE



a) *Iritis serosa simplex primigenia.*

Symptomata iritidis simplicis primogeniae, s. idiopathicae mitissima sunt. Dolor lenis premens, vix ab aegrotto animadversus, neque rubor, neque tumor conspicuus, neque affectio febrilis. Nisi color nativus iridis inflammatione mutaretur pupulaeque libere se contrahendi et expandendi facultas turbaretur et secretio lymphae plasticae, haud puris, in secundo stadio statum abnormem iridis significaret: iritis per omnia stadia decursum suum absolutura esset, antequam aegrotus et medicus de praesentia eius sese certiores reddere possent.

Medela iritidis idiopathicae maxime causis quibus genita fuit, definitur. Quando agere pergunt, remouendae sunt: praeterea in iritide traumatica epithemata frigida in primo stadio sufficient. Neglecta cum fuerit aut vehementior, caetera remedia: Calomel cum opio, paracentesis etc. in auxilium vocanda sunt; — nunquam hirudines, raro et non nisi in plethora universali, venaesectio universalis.

b) *Ophthalmia serosa universalis primigenia:* Haec totam membranam serosam camerarum corripit, praeterque symptomata iritidis serosae, pellucidam corneam mox turbant ostendit. Ceterum rarissime occurrit, quippe quae fere semper sympathicae indolis est et non secus ac iritis serosa sympathica curatur.

2. *Inflammatiō oculi serosa sympathica seu secundaria.*

Secundaria iritis serosa oritur aut a) a *systemate nervoso* in ophthalmitide universali interna, quam comitatur. Tunc dolor lenis quo insignitur ob summam vehementiam doloris qui semper ophthalmiam universalem stipare solet, distingui nequit. Propria igitur medela haud indiget sed iisdem remediis quibus haec sanatur, simul tollitur. Aut

b) *in Sclerotica* primitus haeret indeque ad iridem pergit, tunc praeter symptomata ipsi propria, modo minorem modo maiorem dolorum ostendit, Minorem quando scleroticam non nisi irritatio inflammatoria, maiorem quando vera inflammatiō invasit. In utrisque color iridis mutatur, pupula contrahitur materiaque abnormis in camera anteriore secernitur, quae pro natura aegroti intensitateque morbi aut fluida est, aut solida; illa lympa plastica serosa — neuliquam pus — haec lympa plastica concreta est quae instar membranularum et papillarum e margine iridis exsudare solet.

In utraque affectione, irritatione inflammatoria et vera inflammatione sympathica, iritis a sclerotica oriunda, medela semper huic, non iridi adaptanda, ergo ea esse debet, quam fibrosa inflammatiō postulat, quae pro natura causae, uti diximus, diversa esse solet. Conferantur ea quae in superioribus dixi.

c) *Ophthalmitis serosa universalis secundaria.* Haec inflammatiō, quae haud raro occurrit, saepe vero medicum minus attentum latet, omnes membranas camerarum oculi, nimirum corneae, iridis, uveae, corporis ciliaris et capsulae lentis afficere solet, et fere semper sympathicae indolis esse videtur. A nervoso nimirum aut fibroso systemate originem ducit, et ratione symptomatum eorumque vehementiae, potissimum doloris, unice ex inflammatione primaria, a qua genita est, pendet. Symptomata huic inflammationi propria

haec sunt: Corneae pelluciditas imminuta et interdum prorsus abolita, iridis color natiuus mutatus, pupilla minus mobilis, coarctata, seriusque interdum in margine excrescentiis lymphaticis distincta, exsudationes lymphaticae in cameris oculi spissae, aut fluidae, quae vulgo sed falso pro pure habentur etc. Dolor, plerumque mitis, pro gradu, periodo et causa ad maiorem interdum vehementiam euehitur. Praesertim tum cum inflammatio haec a causis mechanicis, commotionibus, laesionibus v. c. operatione chirurgica etc. originem traxit, pusque simul in stadio secundo secernit. Verum tunc ad cellulosas non ad serosas inflammationes pertinet. Medela ad causam, inflammationem nimirum primariam, neruosam aut fibrosam etc. potissimum respiciat iisque remedia convenientia adhibeat. Ceterum — excepto primo stadio traumaticae inflammationis — remedia localia, r. c. hirudines, scarificationes, collyria, epithemata etc. nocent.

IV.

Ophthalmiae fibrosae.

Systema fibrosum magni in organo visus momento, cum extra bulbum, tum in ipso reperitur, cuius formam ope sclerotics constituit et per neurolemma nerui optici, perimysiumque musculorum cum periorbita intime coniungitur. Extra bulbum non modo in perimysio musculorum, perichondrio palpebrarum et tarsorum, sed etiam in periorbita eiusque processibus, sacco et canali lacrimali, nec non neurolemmate nerui optici conspicitur. Ex hoc artissimo partium externarum cum bulbo oculi nexu, sympathia pathologica, quae inter utrasque intercedit, facile intelligitur (De natura systematis fibrosi conf. Aphorismor. lib. II. cap. VII. §. 1203 sqq).

1) *Inflammatio fibrosa oculi primigenia s. idiopathica.*

In describendis et curandis inflammationibus systematis fibrosi probe distinguendum est inter irritationem inflammatoriam et veram inflammationem; verum cum in hisce pagellis doctrinam de ophthalmiis non nisi delibemus, neququam uberius et accuratius pertractemus haec breuiter monuisse in praesentia sufficiat. In nulla alia corporis humani parte membranae fibrosae tam aperte et non nisi tenui tela cellulosa tectas sese contemplandas offerunt, quam in bulbo oculi, in sclerotica puta. In nullo organo symptomata fibrosae inflammationis facilius et accuratius obseruari possunt, quam in bulbo oculi.

Inflammatio fibrosa primigenia aut in periorbita eiusque processibus, aut in ipso bulbo oculi locum habet.

a) *Inflammatio fibrosa primigenia periorbitae eiusque processuum.*

α) *Periorbitae inflammatio aut irritatio inflammatoria primigenia* traumaticae aut scoricae plerumque naturae esse et a laesionibus potissimum instrumentis cylindraceutis perfrictionibusque originem ducere solet, et eadem est, quae supra sub nomine periorbitidis cellulosa secundariae descripta est. Quando non nisi irritatio inflammatoria adest, praeter spumam in angulis oculi et in tarsi superficie, non nisi leuis pressionis sensus, pallidus rubor, lenisque photophobia adest, tumor vero nullus. Quando vero vera inflammatio pe-

riorbitam corripuit, non modo tumor magnus, ita ut exophthalmos oriatur, adest, verum etiam cetera symptomata, dolor inprimis, multo grauiora sunt et in stadio secundo pus in superficie periorbitae colligi solet.

Symptoma idiopathicum periorbitidis potissimum scoricae spuma est, quae inter tarsos et in angulis oculorum colligitur, cuius causa est mutatio functionis glandulae lacrimalis intime cum periorbita coniunctae et inflammatione secundaria aut irritatione correptae, quo fit, ut secretio lacrimarum mutetur, lacrimaeque indolem spumosam induant.

Curam, nimirum antiscoricam, supra iam iudicauimus. Remedia localia omnia nocent, exceptis epithematibus frigidis in periorbitide *traumatica*, nequaquam in scorica.

β) Alia primigeniae fibrosae inflammationis oculi species ea est, quae vulgo *Anchylops erysipelata*, sed falso nominatur, quae, nisi furunculus est, sedem suam primigeniam in periosteo anguli interni, in regione sacci lacrimalis habere et interdum speciem dacryocystitidis prae se fere solet. Nominanda foret *Anchylops fibrosa* et ac talis curanda. Huc pertinet

γ) *Inflamatio sacci lacrimalis et canalis lacrimalis*, quae plerumque coniunctae esse solent, fibrosae indolis sunt, symptomatibus fibrosae inflammationis — contractionis, et in stadio secundo suppurationis — fere semper scoricae interdum traumaticae naturae, et ita curandae sunt. Conferantur ea, quae supra de secundaria mucosa inflammatione sacci lacrimalis exposui.

δ) *Lusitas* denique, seu ea perimysii musculique alicuius oculi contractio inflammatoria, quae ex irritatione perimysii scorica aut mechanica oritur, huc numeranda est.

b) *Inflamatio fibrosa primigenia bulbi ipsius oculi.*

Inflamatio primigenia fibrosa bulbi non nisi in sclerotica locum habet, et aut a scorica aut mechanica causa proficiscitur. Symptomata fere eadem esse solent e quacunque demum causa orta fuerit, cura vero diversa; potissimum in stadio primo. Conf. quae supra de secundaria inflammatione cellulosa coniunctivae dicta sunt; eadem enim haec *Scleritis primigenia* est. Licet enim sedes primaria inflammationis in sclerotica haereat, symptomata tamen magis in partibus vicinis, coniunctiva, cornea, iride et nervorum systemate ipsoque encephalo sese manifestare et haud raro ad summam vehementiam assurgere solent. Tumor magnus, intense rubens, corneam turbidam et concidentem valli instra circumdans iridis color mutatus, vehemens dolor in oculo et encephalo, muci et lacrimarum uberior secretio, etc. symptomata praecipua et graviora esse solent. — Haec inflamatio omnia remedia localia, hirudines, scarificationes, collyria, epithemata, saccos discutientes etc. respuit, et methodum antiscoricam postulat, cum scoricae indolis; epithemata frigida vero in primo initio cum traumatica fuerit, ceterum pro natura causae curanda est. Conf. quae supra de hac inflammatione dixi.

2) *Inflamatio oculi fibrosa secundaria s. sympathica.*

Membranae fibrosae bulbum oculi circumdantes, — periorbita cum processibus, — secundaria e cellulosa inflammatione oriunda affectione haudquaquam inflammantur; inflamatio enim cellulosa, licet diu haereat cum pure secreto in superficie harum membranarum, eas

tamen nequaquam afficit aut destruit. Metastatice vero ista organa haud raro inflammari solent, ita ut nulla methodo antiphlogistica, sed solummodo remotione causae, seu stimuli metastatici sanari possint.

Magni igitur momenti est probe distinguere has inflammationes a fibrosis, quoniam alias adhibitis methodis antiphlogisticis omnia in peius mutantur. Partes enim remediis antiphlogisticis debilitatae a vi stimuli peregrini sese defendere, functionesque suas tueri nequeunt.

Istis stimulis metastaticis adnumerandae sunt materiae repressae aut suppressae naturales et morbosae v. c. exhalatio cutanea, menstruatio, lochia, sudor pedum, exanthemata et impetigines suppressae. etc.

Quae nisi in integrum restituantur, sanationem perfectam pertinaciter impediunt. His discrasiae quoque adnumerandae esse videntur v. c. scrophulosae, sporicae, syphiliticae et alii stimuli abnormes, qui humorum corruptione secundaria affectione, fibrosa oculi organa corripunt, eorumque functiones turbant. Inde irritationes inflammatoriae scleroticæ, ulcera corneae, photophobia etc.

Inflammatio fibrosa secundaria bulbi ipsius a nervorum systemate proficiscitur et non nisi in ophthalmia universali locum habet, cuius symptomatibus, decursu et medela insignitur. Omnia e causa pendent, quae remouenda est, nisi forsitan transitoria fuerit v. c. laesio, commotio, lucis splendidae stimulus etc.

Ceterum quanti sit momenti accurata distinctio inter inflammationem et irritationem inflammatoriam scleroticæ ex eo intelligitur, quod, experientia teste, haec per longum tempus, menses et annos oculum turbare potest, sine formae et functionum laesione; inflammatio scleroticæ vero paucis diebus ei perniciem minuitur et aut ophthalmiam universalem, phthisin, tabem aut staphyloma generat.

Omnes hae inflammationes sanari nequeunt, nisi de primigenia eorum sede constiterit.


Sed haec hactenus. Nunc indicenda sunt solennia inauguralia Candidati Medicinae

VIRI PRAESTANTISSIMI ET DOCTISSIMI
GUILIELMI DE BIPPEN,
LUBECENSIS.


qui de vitae et studiorum ratione exposuit in dissertatione sua, quam sub titulo: Nonnulla de hermaphroditis et memorabilis hominis gynandri historia docte conscripsit et publico eruditorum examini subjecit. Quo facto ei summi in Medicina et Chirurgia honores solenni ritu collati sunt, quod his literis Decanus publice testatur.

Halae a. d. VIII. Sept. MDCCCXXXI.

Tab. I.




Tab. I.




Perc
1831

D. G. Klath. D^r Med. et.




Tab. II. Fig. 2.




D. G. Kistler. D^r. Med. del.





Tab. III.



D. G. Kluth. D^r. Med. del.

44.01



NONNULLA DE HERMAPHRODITIS

ET

MEMORABILIS HOMINUM

HISTORIA ATQUE DE

2/3 DISSERTATIO PATHOLOGICA

QUAM

GRATIOSI ORDINIS MEDICAE

CONSENSU ATQUE AUCTORITATE

POSTQUAM

TENTAMINE ET EXAMINE RIGOROSE

PRO

SUMMIS

IN

MEDICINA CHIRURGIA ET ANATOMIA

HONORIBUS LEGITIME OBTINUIT

DIE VIII SEPTEMBRIS ANNI

THESES

PUBLICICE DEFENDI

ERUDITORUM EXAMINI

AUCTOR

GUILIELMUS DILLIGER

LUBECENSIS.

ACCEDUNT TABULAE LITHOGRAPHICAE

HALIS

TYPIS BAENTSCHEI



Institut Halle
at Harnack.

